DOCTRINÆ MEDICALIS MAGISTRIS PERITISSIMIS, IVDICIBVS INTEGERRIMIS,

CHRISTOPHORO VANEZ, FRANCISco de Figueroa, Geronimo de Contreras, & Didaco Valuerde de Horosco: sequentes expresſiones in insurgētes quasdam decisiones, Doctor Didacus Lopez Bernal quondam eiusdem facultatis, ac Philosophiæ publicus professor, O. & F. P. P.

QVO vitæ hominis (Viri in sapientia nunquam sat laudati) per medicalia disparamēta intercisio ingesta, est irrecuperabilior; eò facultatis Medicæ professores in eiusdem disquirendis, ac applicandis veris, ac tempestiuis paramentis, proculdubio, & sine mora se seduliores, exhibere tenentur. Hinc ego asserta non nulla, ad id munus ex officio, quo potui diligenti studio paraui, & parata patefeci Doctori Simoni de Silua, Vespertinæ Cathedræ Lectori; in quæ ipsemet prælo mandatas opposuisse videtur impugnationes. Harum euersiones (ne dicam retorsiones) vobis (nostri temporis sapientissimi Galeni) dextro iudicio censurandas, veraque medicina corrigendas humilis offero, securus propono. Nec me vestri ad id fallet opinio, aut spem frustrabit effectus:

qui & experientia proceres, & doctrina primos nostra in uenit Hispania, celebrat Orbis, acclamat iustitia. Viuite, & Valete.

LEMMA.

TRIPARTITVM proponam opus præsens, tribus impugnationibus correspondens: quas præfatus Doctor Simon de Silua, nescio qua fisus veritate, veritati medicæ imaginauit consonas: quantum autem dissonæ exterit eiusmodi impugnationes, haud difficile constabit sequentem discursum diligenter & sinzere attendenti.

EVERSIO PRIMAE impugnationis.

IN PRINCIPIO præsentis difficultatis, claritatis gratia, suppono omnē febrem hæcticam includere essentialiter calorem preternaturalem; quæ doctrina ita certa, atque recepta est apud omnes medicos, vt ipsam, instar axiomatis perpetuæ veritatis, nullus hucusque ausus sit negare. Solum autem est difficultas: *Vtrum febris hæctica præter calorem includat siccitatem morbosam tanquam partem essentialem sui.*

Difficultas.

Assertū authoris

Mihi igitur (venerabiles Iudices) iuxta communem sententiam existimāti; *Hæcticam febrem vt sic non includere essentialiter siccitatem morbosam*. Doctor Simon de Silua contrariam obijcit assertionem, dicens; *Omnem febrem hæcticam essentialiter siccitatem morbosam includere*; aliquibus fundamētis (de quibus infra) conuictus: meam autem assertionem

Assertū D. Silua.

nem

nem probo rationibus ſequentibus.

Primo probatur; quia Galenus, diuinus Author, pluri-mis in locis, præſertim 3. de præſagationibus expulſibus, cap. 4. docet; hæcticam febrem peſtilentem eſſe poſsibilem, quam ipſemet Galenus, cap. 3. antecedenti clariſsimis verbis docet generari propter putredinem partium viuentium ſolidarum cordis; qua Galeni genuina doctrina ſuppoſita: Probo euidenter meam ſententiam; quia febris hæctica peſtilens eſt ſpecies febris hæcticæ in communi: ſed illa non includit eſſentialiter ſiccitatem morboſam, quimpotius in ſui principio humiditatē morboſam obtinet: ergo non omnis febris hæctica includit eſſentialiter ſiccitatem morboſam. Maiorem verè docuit modò Galenus; minor patet ex Philoſopho 4. metheorum, cap. 2. vbi ait; *Quod ea, quæ putreſcunt etiam ſi in fine putredinis ſiccitatem cõtrahũt, in principio tamen humidiora redduntur*: Ergo febris hæctica peſtilens, ſaltim in ſui principio ſiccitatem morboſam non habet: imo potius humiditatem morboſam neceſſario obtinet (aliàs non omnia, quæ putreſcunt in principio humidiora redduntur) ergo non omnis febris hæctica includit eſſentialiter ſiccitatem morboſam. Falſum igitur aſſerit Doctor Silua; aſſeuerans omnem febrem hæcticam includere eſſentialiter ſiccitatem morboſam.

Secundo probatur mea ſententia; quia ſi ſemper ſiccitas morboſa comitaretur febrem hæcticam, ſimiliter ſemper eandem comitaretur pulſus durus; cum apud omnes hic ſit cum eiuſmodi ſiccitate: ſed ſecundum Galenum, lib. 1. de differ. febri, cap. 7. Pulſus durus non ſemper comitatur febrem hæcticam: ergo nec ſiccitas morboſa; & ex conſequenti ipſa non eſt pars eius eſſentialis.

Doctor Silua reſpondet.

Huic argumento reſpondet Doctor ille, pulſum durũ ſemper conuenire febri hæcticæ. Et quod Galenus loco proximè citato intelligitur, quaſi dicat pulſum durum nõ

ſemper conuenire febri hæcticæ, quatenus febris eſt; non vero quatenus hæctica eſt; in quo ſenſu ipſemet Galen. parum infra docet; *Quod in febribus ea ratione qua febres ſunt, nunquam fit pulſus durus:* Quam ſolutionem explicat exemplo febris lipiriæ; cui quatenus febris eſt, inquit, conuenit expanſio caloris per totum corpus: repugnat veró eadem expanſio quatenus lipiria eſt.

Euertitur reſponſio Doct. Silui.

Hæc autem ſolutio potius eſt ſubterfugium; & contra Galeni mentem: quippe qui poſtquam dixit pulſum durum non eſſe proprium, ac inſeparabilẽ cuipiam generi febrium: ſubdit; *Nec diarijs, nec putridis, nec hæcticis:* ergo vult Galenus, quod pulſus durus non ſolum non ſit inſeparabilis febri, quatenus febri, ſed etiam hæcticæ, quatenus hæcticæ; patet conſequentia ex ipſiſmet verbis; per genus etenim febris intelligit rationem communem, ſeu genericam febris: per febres hæcticas non ſolum intelligit rationem communem, verum etiam particularem, ſeu ſpecificam talis febris, vtrique ergo rationi communi, & differentiali liquet negari á Galeno inſeparabilitatem pulſus duri.

Confirmatur vtrumque; quia Galenus loco citato, poſtquam dixit pulſum durum non eſſe proprium, ac inſeparabilem febribus hæcticis, ait; *Comitatur magna ex parte hæcticas febres:* ergo vult Galenus pulſum durum non ſemper conuenire hæcticis febribus, quatenus hæcticæ ſunt; hoc enim ipſe docuit manifeſtè cum appoſuit ly *magna ex parte*; quod eſt dicere: quod eſto multoties adſit tali febri pulſus durus, ipſa autem ſine ipſo poteſt dari. Præterea ſi Doctor ille ad communem rationẽ recurrens per ly hæcticas intelligit febres, quatenus febres; iã ipſis quatenus febres ſunt cõueniret pulſus durus magna ex parte, quod eſt in medicina ridiculum. Præterquamquod infra efficaciter probabo pulſum durum non ſemper conuenire febri hæcticæ.

Ad

Ad exemplum autem febris lipiriæ, quo ineptè vtitur Doctor ille; præterquāquod inuoluit falsā doctrinā, circa essentiā febris in cōmuni (quā secunda euersione reijciemus) adhuc tamen non tenet; quia pulsus durus non semper conuenit febri hæcticæ, quatenus hæctica est, nec quatenus febris est: vt ostendimus parumper; at febri lipiriæ quatenus febris est, conuenit necessario expansio aptitudinalis caloris præternaturalis á corde in totum corpus: & quatenus lipiria est habet eandem expansionē caloris ex corde ad reliquas partes interiores cum frigiditate morbosa in partibus exterioribus: quia febris lipiria essentialiter componitur ex distemperie frigida, & calida; vnde exemplum adductum nihil infert contra me.

Tertio probatur nostra sententia, specialiter de hæctica primæ speciei. Pro qua pręmitti oportet, quod Galen. 7. methodi, cap. 5. & 6. (quem omnes Medici sequuntur) docet quatuor siccitates diuersas penes diuersas humiditates, ex quarum defectu oriuntur (licet defectus non sit causa siccitatis productiua, sed occasionalis) prima siccitas sequitur defectum substantię humoralis, secunda humiditatis natiuę, 3. humiditatis carnosę, & adiposę, 4. siccitas defectum humiditatis substantificæ ipsarum partiū solidarum sequitur. Qua Galeni pręmissa doctrina; alia eiusdem non minus accepta, supponēda est cum communi Medicorum consensu; siccitatem scilicet sequutam ex defectu substantię humoralis non esse habitualē: restauratur enim facillimo negocio, quia vt post præfata mirificè addit Gal.; *Hic affectus vt frigiditas potius habitus quam vt siccitas curatur*. His suppositis, probo efficaciter hæcticam primę speciei non includere essentialiter siccitatē morbosam; quia si in ipsa esset aliqua siccitas morbosa maxime sequuta ex defectu natiuę humiditatis, quia hęc facilius alteris euaporatur, sed illa non datur, ergo & nulla; consequentia bene infertur; maiorem omnes Medici fatentur;

minor probatur, quia hæctica primæ speciei fit quando datur efferuescentia natiuæ humiditatis (sic docet Galenus lib. 1. de differen. febri, cap. 9) sed quando natiua humiditas efferuescit non est consumpta: aliàs quomodo efferuesceret? consumptio enim ipsius ad efferuescentiã sequitur (vt ipsemet docet Galenus loco proximè citato;) quam eandem veritatem docet cap. 8. antecedenti, & alibi sæpe: ergo hæctica primę speciei non includit essentialiter siccitatem morbosam: falsum igitur Doctor Silua asserit, hæcticam primæ speciei includere essentialiter siccitatem morbosam.

Siccitas morbosa est accidẽs febris hæcticæ primæ speciei.

Ex prædicto fundamento infertur ratio, qua conuincitur, siccitatem morbosam esse accidens sequens febrem hæcticam primæ speciei; & ex consequenti, ipsam non ingredi in eiusdem conceptum essentialem; quia siccitas morbosa sequitur consumptionem natiuę humiditatis, sed consumptio natiuæ humiditatis sequitur rationem essentialem hæcticæ primę speciei, ergo à fortiori maiori ratione siccitas morbosa sequitur ipsammet rationem essentialẽ, vt ipsis terminis patet. Hoc (ni fallor) dixit apperte Galenus loco proximé citato, quippe qui loquens de hæctica primę speciei, sic ait; *Cum enim naturalis cordis temperies, primum euerti ceperit, natiua humiditas, nec protinus abolita est, nec virtus plurimum laborat, sed primo fit, velut quædam efferuescentia humiditatis, quo in tempore facillimum est huiusmodi febrem sanare, tanquam nihil adhuc virtute perpessa. Deinceps autem consumptio quædam efferuescentiam sequitur, &c.* Vbi Galenus (notate precor venerabiles Iudices) docet claris verbis, hęcticam primæ speciei esse factam, quãdo datur velut quædam efferuescentia natiuę humiditatis: quo in tempore inquit, *Facillimum est huiusmodi febrem* (per quam febrem perfacile sanabilem, Galenus, & medica schola intelligit hæcticam primæ speciei) *sanare*: deinceps subdit *Consumptio quædam efferuescentiam sequitur*; ergo consumptio natiuæ

humi-

humiditatis ſequitur hæcticam primę ſpeciei: patet conſequentia, quia ſequitur febrem per facile ſanabilem, hæcticam ſcilicet primęſpeciei, ergo ſiccitas morboſa orta ex conſumptione humiditatis natiuæ, ſequitur febrem hæcticam primę ſpeciei: ergo eſt accidens ipſius, & ex conſequenti ſiccitas morboſa non ingreditur conceptum eſſentialem febris hęcticæ.

Dicet fortaſis aliquis bene verum eſſe ſiccitatem morboſam ortam ex defectu humiditatis natiuæ ſequi hæcticam primæ ſpeciei, & ideo ipſa eſſe poſteriorē natura, nō vero tempore; quod non tollit quominus ipſa conſtituat ſimul cum calore hęcticam primæ ſpeciei, medicé loquēdo. *Obiectio.*

Hæc tamen ſolutio friuola eſt, quia ſi prædicta ſiccitas eſt poſterior natura hæctica primę ſpeciei apperté colligitur ipſam non ingredi in ſuo conceptu eſſentiali; quod enim alicui conuenit eſſentialiter: ſemper, & vbique illi conuenire Philoſophi clamant. Præterquamquod verba ipſa Galeni maximè illa, *quo in tempore*, non priorem in natura, ſed in tempore eſſe hæcticam primam reſpectu ſiccitatis morboſę claré manifeſtant; imo vt vidimus inter talem febrem, & ſiccitatem mediat conſumptio natiuę humiditatis: quę conſumptio petit fieri in tempore, vt patet. *Reſpōſio.*

Nec dici poteſt ſiccitatem morboſam, medicè loquendo febrem hęcticam primæ ſpeciei conſtituere, quia hęc iam eſt conſtituta ineſſe ſanabilis ante ſiccitatem morboſam: quod ſignificauit, Galenus ſupra his terminis: *Febrem ſanare:* Et poſtea ſubdit *Deinceps quædam conſumptio efferueſcētiam ſequitur*: Ergo vult Galenus conſumptionem, ex qua oritur morboſa ſiccitas ſequi febrem ſanabilem, perfacile; ergo hæc febris iam eſt conſtituta in aliqua ſpecie determinatè, medicè loquendo: aliás quomodo eſſet ſanabilis? ergo, medicè loquendo, ſiccitas morboſa non conſ-

tituit

tuit hęcticam primę ſpeciei, ſed eſt accidens ſequens ipſam, iuxta id Galeni; *Efferueſcentiam ſequitur.*

Ex prę iacta doctrina Galeni, rationis diſcurſu probata, infero (vt promiſſum prę ſtem) pulſum durum ſequi hęcticam primę ſpeciei in tempore; vt ego probabam Doctori illi, & non in natura, vt ipſe fingit, quia pulſus durus in febre hęctica, ſequitur ſiccitatem morboſam, vt omnes concedunt, ſed ſiccitas morboſa orta ex defectu humiditatis natiuę, ſequitur in tempore hęcticam primę ſpeciei, vt probauimus ergo á fortiori, pulſus durus ſequitur in tempore hęcticam primę ſpeciei.

Hanc veritatem, venerabiles Iudices, ſupponebat altera, qua vſus fui, dum perſuadebam illi Doctori exiſtimāti pulſum durum omni tempore conuenire febri hęcticę, ne ita pertinaciter duceretur in ſimilem modum dicendi difficilem, quia ſiccitas morboſa non omni tempore conuenit febri hæcticę, quia eſt accidens tempore ſequens ipſam: ergo etiam pulſus durus non omni tempore conuenit febri hęcticę; patet conſequentia, quia pulſus durus eſt accidens ſequens febrem hęcticam, propter ſiccitatem morboſam.

D. Silua inſurgit. Hanc illationem Doctor Silua contemnit, ac ſibi nullius momēti videtur: fortaſis quia prędictū fundamentū non pēſauit; & ideo ipſa ipſi videbatur ommittenda, quā nihilominus ſoluit, dicens; pulſum durum eſſe accidens ſequens febrem hæcticam natura, non tamen tempore; id eſt poſteriorem eſſe natura pulſum durum febri hæctica, non verò poſteriorem tempore: pulſus enim durus omni tempore conuenit febri hæcticæ.

Retunditur Doc. Silua. Hæc ſolutio falſa eſt, falſum enim ſupponit fundamētum, ſiccitatem ſcilicet morboſam omni tempore conuenire febri hæcticæ, quod ſupra late reijcimus. Sed demus illi gratis ſiccitatem morboſam ſemper conuenire febri hæcticæ; adhuc ſolutio eſt falſa in rigore loquendo, quia

pulſus

pulſus durus neceſſariò fit in tempore, cum ſit motus localis, cui eſſentialiter conuenit eſſe ens ſucceſsiuum, & ſic neceſſarió debet fieri in tempore: ergo pulſus durus eſt accidens ſequens febrem hæcticam, non ſolum naturæ poſterioritate, ſed etiam temporis. Quæ ratio ſine dubio conuincit in ſenſu phiſico; in ſenſu verò medico prędicta fundamenta mihi videntur efficacia, pro noſtræ ſen tentię probatione: quæ amplius confirmabitur, euerſis obiectionibus Doctoris Siluę; quas ſuo ordine perpendamus.

Et prius pręmittere libet aliqua aſſerta Philoſophica; ipſi Doctori à me inter loquendum propoſita, tàm vera, quâm vtilia: & vtilia valdé in Philoſophia: iuxta quam omnes Philoſophi concedentes accidentibus corporeis partes diſtinctas à quantitatiuis: conſequenter docent, quod partes illæ ſua habent indiuiſibilia terminatiua, ac continuatiua. Doctor inſuper ille mihi libenter concedebat, quod ſiccitas ſuas habet partes; has tamen non proprijs indiuiſibilibus: quia his, inquit, priuātur: ſed quā titatiuis continuari. Et mihi obijcienti: *Vtrum partes illæ ſeparatæ á quantitate (per Dei miraculum) eſſent continuæ.* Reſpondit, partes illas admiſſo miraculo fluere *in punctum*. Quod eſſe diuiſibile, aut indiuiſibile, neque hucuſque declarare potuit iſte doctiſsimus Doctor, & ſic pro tunc forſan ignorantia detentus, & nunc temeritate ductus, & omittit mea vera aſſerta Philoſophica; & ſibi videntur ridicula ludibria.

Præludium ad obiectiones D. Siluæ

Obiectiones principales Doctoris Siluæ.

In primis igitur obijcit nobis authoritatem Galeni, qui 1. de differ. febri. cap. 9. Omnibus hæcticis, quas tabes cõſequitur, conuenire ſiccitatẽ morboſam, probat ipſe: Ergo etiam hæcticę primæ ſpeciei conuenit. Antecedens conſtare aiebat, his verbis: *ſiccam verò in hæcticis febribus eſſe caliditatem, quas tabes conſequitur, hoc conſtat argumentó.*

1. Obiectio.

 Nullus

Nullus eorum, qui habitu corporis præditi sunt humidiori, statim ab initio huiusmodi febre correptus fuit; sed quicunq; sunt natura sicciores; ac præsertim si vnà calidam habuerint temperaturam. Quę verba, inquit, minimè verum sapere possent si calori hæcticę primę speciei non esset coniuncta siccitas morbosa. Quod ita contingit, quia hæctica febris proportionatur naturis calidis, & siccis; non verò calidis, & humidis: ergo non iñ solo calore febrili, sed in siccitate morbosa consistit; aliàs si in solo calore consistit, cur in corporibus calidis, & humidis ab initio non introducitur? Siquidem humiditas nec per se, nec per accidens opponitur calori febrili.

D. Silua,

Notanda pro solutione 1. obiectionis.

Pro solutione huius obiectionis supponenda est Galeni doctrina, qui pluribus in locis, præsertim 1. prorri. test. 17. docet, hæcticam febrem posse produci per quandam alterationem partium solidarum cordis: quam esse distinctam á calefactione, clare dicit, ac explicat exemplo lignorum, quę aliquando igni approximata, solûm calefiunt: aliquando ipsa non solúm calefiunt, verum etiam aduruntur. Verba etenim Galeni nostri sunt: *Nempe cum affectio fit, & nondum facta est breuiter separata efficiente ipsam causa sedatur; si verò completa ea fuerit; etiamsi euaquata fuerint, quæ affectionem procreauerint, humida nihil in sanationis ratione amplius existit. simile enim quidpiam contingit, quemadmodum in lignis euenit, quæ proxime mollem ignem, sunt apposita: calefiunt quidem valde, sed nondum inuruntur, quæ si prius ab igne separaueris, quam inuri incipiant, celeriter contractam caliditatem deponunt: si verò tantū in se exceperint, vt inuri incipiant, etiamsi ab igne tollantur, nihilominus inuruntur.* In qua aurea sententia Galenus diuinus non solum insinuat causam habituationis caloris febrilis hęctici (de qua, tertia euersione latè dicemus) verum etiam docet quæmdam generationis modum caloris hæctici producti propter adustionem partium solidarum cordis. Alium autem modum productionis caloris facti docet ipsemet Galenus, 3. de præsag. expuls. cap. 3. quando

scilicet

ſcilicet ipſemet partes putreſcunt: per quarũ putredinẽ hæcticam produci ipſemet, clariſsimis verbis docet cap. 3. proximè citato, & cap. 4. ſequenti; itaque calor hecticus duobus modis adquiri poteſt, putredine ſcilicet, & aduſtione; quæ quidem alterationes terminantur immediatè in qualitates ſecundas pertinẽtes ad modum ſubſtantiæ, ſeu mixtionis, iuxta commune Philoſophorum, ac Medicorum placitum; quod illudit doctiſsimus Doctor ille, fol. 8. ſuarum aſſertionum; fallitur tamen miſerè, vt infra 3. euerſione videbimus.

Sed maximè notandũ eſt, quod febrem hæcticam factam per putredinem partium ſolidarum cordis, neceſſariô ſequitur mors breuiſsimo temporis ſpatio: quod Gallenus appoſitiſsimè docet dicens, loco ſupra citato: *Quam enim, excogites medicinam, ad putredinem, quæ in corde ſit?* Quaſi dicat nullam. Quod idẽ docuit Auic. ſen. 14. tract. 4. c. 2. (loquitur de hæctica peſtilenti) dicens; *Et non alteratur pulſus, & aqua magna alteratione, & cum hoc eſt interficiens velociter*: cuius euentus veluti reddens rationem, ſubdit: *Nam putredo eſt iam cõfirmata in corde*. Itaque ad febrem hæcticam factam per putredinem partium viuentium cordis, neceſſariò, ac breuiter ſequitur mors.

Ex qua doctrina infero, quod quãdo Gal. 1. de diff. feb. c. 9. & alibi ſæpe ait: *Hecticã febrẽ tranſire ad tabẽ, niſi rectè curetur, & hæcticã facillimè in principio curari poſſe*. Per hecticam febrem intelligit hecticam productam propter aduſtionẽ; non veró propter putredinem partium ſolidarum cordis, & ratio ſumitur ex dictis. Itaque febris hæctica tranſiens ad tabem, & quam ſequitur tabes, producitur per aduſtionem: quæ febris hæctica, quia frequentior eſt, ac ſæpe contingit, vocatur à Galeno, & communi Medicorum ſchola, febris hæctica abſolutè: quam diuidi in 3. ſpecies, ſeu differentias tempora, gradus, ſeu partes (idem enim ſunt) primam videlicet ſecundam, & tertiam, omnes Medici docent.

Hac ſuppoſita Galeni doctrina, facile ſoluitur obiectio Doctoris Siluæ: ad quam dicimus, quod Galenus in illis verbis non loquitur de omni hæctica febre, vt patet ex ſerie verborum; ſed determinatè de hæctica producta per aduſtionem, quam eſſe caliditatem ſiccam, phiſicè loquendo, concedimus (vſtio enim, vt ait Philoſophus, 4. Metheorum, fit à calore ſicco) negamus tamen illam hæcticam in ſui principio ſiccitatem morboſam includere, quia vt diximus ſupra, in tertia ratione noſtrę ſententiæ: tunc non datur conſumptio morboſa alicuius humiditatis, licet phiſicè loquendo, aliqua ſit: & patet aſsimili, quia certum eſt in hęctica ſecundæ ſpeciei calorem reſoluere, non ſolum humiditatem carnoſam, & adipoſam, verum etiam ſubſtantificam partium viuentium: quia cum ipſe ſit agens neceſſarium, & paſſo inhærens reſolutionis capaci *(ſiue hæc eliciatur à calore influenti, ſiue à calore partis continuè calidioris, ſiue exiſtente in eademmet parte, quæ reſoluitur, quod mihi videtur verius, cum pars omnium calidiſsima (quæ libet ſit) reſoluatur)* non poteſt non ipſam reſoluere aliqualiter, & ſic neceſſario, ſequitur aliqua ſiccitas ad penſum illius reſolutionis, quam noſtrates neceſſario docere tenentur non eſſe morboſam aliâs illa hæctica iam eſſet tertiæ ſpeciei: ergo ſimiliter illa ſiccitas præuia ad introductionē caloris hæctici, licet re vera ſit ſenſibilis, adhuc tamen nō meretur rationem morbi; ſecus autem ſi ſequatur conſumptionem morboſam alicuius humiditatis.

Ex qua ſolutione colligitur ratio, propter quam corpora calida, & humida ab initio huiuſmodi febre (hæctica ſcilicet per aduſtionem) non corripiuntur, quia licet ipſa ſint diſpoſita ad recipiendum calorem abſolutè; adhuc tamen ab initio non recipiunt calorem in facto febris huiuſmodi hæcticæ, quia ipſe debet introduci media vſtione *(Supponit hæc ratio qualitates primas quodam modo à ſecundis dependere tanquam probabilius ex Philoſophia)* ad quam

minimè

minime ſunt præparata ipſa corpora calida, & humida: ſic docet Galen.1.prorri.cita.dicẽs: *Quod ſi lignum humidum in ignem eundem inijciatur, non protinus accenditur, vt vel ſic ſtupã, vel calamum ſicum, vel ellychinum conijeceris.*

Quod ſi abſolute diceret Galenus corpora calida, & humida abinitio hæctica febre corripi non poſſe (in quo ſenſu ipſum intelligit Doctor Silua) vltra quod falſam doceret doctrinam, minime ſtaret in ſuis principijs. Ipſe enim Galenus 8.meth.cap.7. loquens de corporibus ad febrem præparatis, & in particulari loquens de temperie calida, & humida, ſic ait. *Maximé omnium putredinis morbis, hæc intemperies expoſita eſt: propterea quod per ipſam ſanitatem proxime putredinem accedit.* Ergo cum hæctica produci per putredinem poſsit, vt ipſemet Galenus docuit locis ſupradictis, ſine dubio corpora calida, & humida abinitio hæctica facta propter putredinem corripi poſſunt; non autem febre hectica producta per aduſtionem; quod veluti nobis inſinuans Galenus ait. *Nullus eorum, qui habitu humidiori ſunt præditi huiuſmodi febre (ideſt hæctica per aduſtionẽ) correptus fuit.*

Si autem (per docti iudices) prædicta ſolutio non placet illi Doctori: det nobis ipſe rationem, quare corpora calida, & humida abinitio non corripiũtur hectica febre; quia hæc iuxta ſuam opinionem, folio 8. Conſtituitur in eſſe talis febris, per diſtemperiem calidam totius corporis æqualem; hæc autem, nec per ſe, nec per accidens petit ſiccitatem, vt patet in aere, qui ex natura ſua eſt calidus, & humidus æqualiter: ergo non eſt ratio iuxta ſuum dicendi modum quare corpora calida, & humida abinitio hæctica febre non corripiuntur.

Nec valet ſi dicat ipſe Doctor, quod ideo talia corpora non corripiuntur abinitio hæctica febre: quia hæc eſt diſtemperies calida, & ſicca: non in quam valet hæc euaſio; quia præterquam quod ſupponit negandum, non *Euaſio.* *Reclusio.*

 ſtat

arterias:ergo cum molles arteriæ ſint,& facultas non validas, fiet pulſus vermiculans, quod eſt contra experientiam:ergo de omnibus hæcticis agit; ac per conſequens omnibus tribuit ſiccitatem morboſam.

Reſpond. 3. obiect. Huic obiectioni reſpondetur; quod Galenus ibi loquitur de febribus hæcticis 2. & 3. ſpecici, vt ex verbis ipſis conſtat. Ad rationem autem dicimus; verum eſſe antecedens: falſa tamen eſt conſequentia, dupliciter; primo quia ex eo quod arteriȩ non ſint duræ, non ſequitur molles eſſe; ſicuti ex eo, quod non ſint calidȩ non ſequitur, quod ſint frigidȩ; non ne poſſunt eſſe temperatæ ? Maximè, quia inter illas oppoſitiones datur medium, ergo etiam ſi arteriȩ non ſint durȩ nō ſequitur, quod ſint molles. Secundo, quia etiā ſi facultas ſit inualida, non ſequitur quod poſsit ellicere pulſum vermiculantem: quia iſte non ex quacumque facultatis vitalis debilitate prouenit. Rurſus Galenus 1. de differentijs febrium cap. 9. poſtquam dixit hæcticam primæ ſpeciei, per facilè ſanari: veluti reddens rationem ſubdit, *Tanquam nihil adhuc virtute perpeſſa.* Nihil ergo probat ratio illius Doctoris.

4. & vlt. obiectio. D. Silua. Vltimo obijcit Doctor Silua; quia Galenus augmentum febris hæcticæ compleri aucta ſiccitate docet: ergo ſi hȩctica augmentum habet á ſiccitate, & non á calore eſſentialiter cōſtituitur ex illa, & calore: & nō ex ſolo calore; antecedens conſtat ex Galeno; qui lib. de differ. febri. cap. 9. loquens de hæctica 2. ſpeciei ſic ait. *Alter veró cuiuſdam veluti ipſius augmenti. Atque integræ perfectionis terminus eſt tertiæ diei acceſio: ſi enim vt paulo antea dicebamus, nec altera acceſio ſuperuenerit, nec ægrotus ſine febre fuerit adaucta in ſuperſiccitate, tunc proculdubio hic hæctica febre laborat, quæ progreſſu temporis cito ad tabem conuertetur ſi non bené curetur;* In quibus verbis (inquit Doctor ille) Galenus agēs de hȩctica ſecūdæ ſpeciei clariſsimè docet febrem hæcticam augmentum ſuſcipere á ſiccitate. Et probat id ratione: quia hæc-

tica

-tica febris non poteſt augeri; neque augmentum ſuſcipe-re penes calorem, quia totus hic in facto eſſe eſt: vnde non poteſt illi addi de nouo alter gradus, neque radicatio maior, quia iam non eſſet hecticus, ſiquidem adhuc fiens: cum ergo aucta ſiccitate augeri dicatur, & augmentum ſuſcipere, ſiccitatem morboſam eſſentialem calori coniunctam habebit hectica febris; aliás enim impoſsibile eſſet augmẽtum ſuſcipere á ſiccitate: quod cõtra Galenum eſt ibi.

Huic obiectioni (Quæ apud Doctorem Silua eſt euidens ac fortiſsima: cui ipſe nixus pluſquam ſæpe affirmauit iam nos prælio conuictos haberi) Reſpondetur in primis falſum eſſe, Galenum agere in illis verbis de hectica ſecundæ ſpeciei, nam cuilibet Medico mediocriter expoſitori Galeni textus perſpicuê conſtabit ipſum agere de ſignis hecticæ primę ſpeciei, nõ vero de hectica ſecundæ ſpeciei: quod patet ex ipſamet ſerie verborum; & probatur euidenter, quia Galenus agit de illa febre hectica, quæ citò tranſit ad tabem, ſi non benè curetur; ergo illa febris non eſt febris tabida: ergo non eſt hectica ſecundæ ſpeciei: patet hæc vltima conſequentia: quia hectica ſecundæ ſpeciei eſt formaliter febris tabida; ergo Galenus in illis verbis agit de hectica primæ ſpeciei, quæ ex natura ſua eſt conuertibilis, ſeu tranſiens in febrem tabidam, ſi non benè curetur. Quæ explicatio ita eſt genuina Galeni verbis, vt contraria videatur ſine fundamento tradita: vnde ſufficienter ſoluta videtur impugnatio, quam ad cœlum vſque extollit Doctor ille.

Reſpond. 4. obiec. D. Silua.

Sed cõcedamus gratis Galenum dixiſſe hecticam febrem augmentum ſuſcipere â ſiccitate; adhuc tamen nihil probat: quia calor augmentum ſuſcipit à luce: & hæc non eſt pars eſſentialis caloris: ergo in rigore loquendo etiam ſi hectica augmentum habeat á ſiccitate, adhuc tamen non ſequitur, quod ſiccitas ſit pars eſſentialis

Reſpond. Aliter.

febris hecticæ. Sed demus quod ideo ſiccitas eſt de eſſentia febris hecticæ, quia hæc ab ipſa habet augmentum; ergo (inferamus) propoſitio contraria eſt falſa, ideo ſiccitas nõ eſt de eſſentia febris hecticæ, quia hęc ab ipſa non habet augmentum. Ex hoc etenim ſequitur calorem non eſſe de eſſentia febris hecticæ. Patet ſequella, quia per noſtrum Doctorem hectica febris à calore non habet augmentum, aut aliàs aſsignet nobis diſparitatis rationẽ. Hãc videtur reddere ſupra dicẽs, quod ideo febris hectica non habet augmentum à calore, quia totus in facto eſſe eſt, aliâs non eſſet hecticus, ſiquidem adhuc fiens. Contra ſic obijcio, quia calor hecticus ideo eſt in facto per iſtum Doctorem, quia calor eſt æqualiter productus in omnibus partibus corporis, ſed ex hoc cap. nõ repugnat calori hectico intenſionem ſuſcipere; patet euidenter, quia ſi ille calor ęqualis (ſit vt tria) fuit productus ab aliqua cauſa, cur ab eadem, vel diuerſa per vlteriorẽ actionem non poteſt fieri vt quatuor, & ſic ipſe manens hecticus intenſionem habebit? Vnde repugnat? Sed de hoc amplius tertia euerſione, vbi probauimus, quod Doctor Silua non eſt aſſecutus, quid ſit diſtemperies æqualis apud Doctores.

Pręterea argumentum in ipſum Doctorem retorqueri poteſt: quia ſiccitas in hecticis, aut eſt in facto; aut eſt in fieri; ſi in facto: ergo ab ipſa febris hectica non poteſt augeri propter ſuammet rationem, quam pro calore affert; ſi autem talis ſiccitas eſt in fieri: ergo non eſt hectica, neque conſtituit eſſentialiter febrem hecticam; patet conſequentia: quia febris hectica eſt morbus in facto. Aut aſsignet rationem, cur ſi febris hectica in ſua opinione conſtituitur formaliter ex calore, & ſiccitate morboſa, calor debet eſſe in facto, ſiccitas autem in fieri: quia hectica febris, aut eſt in habitu propter calorem facti: & ſic ſiccitas non erit in habitu: quia ſiccitas eſt in

fieri;

fieri; aut est in habitu ipsa hectica propter siccitatem, quę est in fieri, quod est ridiculum: quomodo enim potest res in fieri, qualis est siccitas (iuxta suam mentem) constituere rē (quæ est febris hecta) in facto? Aut propter vtrūq; & sic febris hectica non est tota in habitu formaliter, sed aliquid habet dispositionis medice loquendo, & aliquid habitus, quod in medicina. Falsissimum est, ergo velit nolit Doctor iste ex falsa sua Galeni explicatione in has, & similes angustias incidere tenetur. Itaque Galenus in illis verbis: *Alter vero cuiusdam veluti ipsius augmenti atque integræ perfectionis terminus, &c.* Loquitur de signis febris hecticæ primæ speciei, non quibuslibet (qualem diximus esse siccitatem adauctam supra in solutione secundæ obiectionis) sed infallibilibus ac certis: quasi dicat signum integræ perfectionis febris hecticæ præter siccitatem adauctam, est tertiæ diei accessio, & subdit Galenus se explicans: *Si enim vt paulo ante dicebamus, nec altera accessio superuenerit, nec egrotus sine febre fuerit, adaucta insuper siccitate, tunc proculdubio, hic hectica febre laborat, &c,* Et hæc de prima euersione.

EVERSIO SECVNdæ impugnationis.

HANC euersionem (præstantes Iudices) paucis perficiam: veritas enim quam in præsenti defendimus clarissima est; nullus hucusque Medicorum ausus fuit negare complicationem hydropis cum hectica tabida; solus tamen Doctor Simon de Silua ipsam non admittit; & ido prælio mandauit contrariam assertionem. *Asserit enim impossibile esse complicari, seu simul inueniri febrem tabidam, & hydropem,* Motus ipse rationibus *Q. Vtrum implicet. hydropis cū hectica tabida.* *Negat D. Silua.*

apparenter veris, & euidenter tenebricosis. Et ideo ne Doctor ille alios se ducat, quam potius inuitus conuictus veritate ad veram medicinam tenendam, & doctrinandam capax reddatur, *Probemus clarè, & faciliter complicationem hydropis cum febre tabida.*

Affirmat author cum comuni.

Communis etenim sententia est, hydropem ex distemperie calida posse oriri: quam videtur docere parens medicinæ Hippocrates 1. prog. comm. 2. dicens: *Aqua inter cutem, quæ ex acuto morbo fiunt malæ non enim à febre liberant, &c.* Quam eamdem sentētiam Galenus videtur docere test. 3. sequenti (agens de accidentibus hydropis primario ortæ) *Manent diutius (inquit) in ibi reliquiæ alimenti, quæ partim inflamatione iecoris torrentur.* Quæ verba supponunt calorem non qualemcumque, sed veluti adurentem, idem docet Galenus 6. de locis cap. 1. *Dicens haud secus halucinariin ea quoque aquæ inter cutem specie, quæ ad acutos morbos sequitur quippe ab his iecur calida, & sæpe numero sicca quoque intemperie tam grauiter afficitur, vt cibum in sanguinem transmutare non valeat, &c.* Quid clarius? Idem videtur docere alijs locis, quos breuitatis causa omitto. Galenū sequitur Auicena fem. 14. tractatu 4. lib. 3. cap. 4. Paulus lib. 3. cap. xlviij. Aetius tetrab. Sermone 2. cap. 20. Arculanus cap. x c i x, Conciliator differentia c i 1., Auerroes lib. 3. cap. 21. Fernilius lib. 8. cap. 4. & omnes ferè recentiores recipiunt hydropem posse ex distemperie calida iecoris oriri: qua supposita sentētia, per facillè complicationem prædictorum affectuum probare possumus.

Assertū D. Silua.

Doctor autem Simon de Silua prefatam communem sententiam non recipit; sed tanquam falsam illam omittit; asserit enim folio 6. suarum assertionum: quod si laborantes febre ardentissima hydropici euadunt, vt experientia quotidie ostendit, non ex calore, vt hucusque opinatur (ait ipse) sed potius ex in modico aquæ frigidæ potu, aut alterius rei frigidæ intempestiué, ac in modicè

sumptę

sumptę vsu prouenit; aliàs etiam si non immodico aquæ potu, sed parcissimo, neque alterius rei frigidæ immodica sumptione vterentur laborantes febre ardentissima semper fierent hydropici, cùm semper haberent calorem resoluentem vehementem, & tunc præsertim cum victoriosa agat actione, & contrarium valde remissum, ne dicam victum præsens obtineat. Hæc Doctor Silua.

Reijcitur assertum D. Silua.

Fallitur tamen maximè, quia multi ardentissima febre laborantes, abstinentes ab vsu immodico rerum frigidarum, fiunt hydropici, vt experientia constat: & sic videmus multos vinosos aquæ vitæ, & similibus calidissimis potibus, & alimentis deditos hydrope correptos etiam si ipsi aquam, immodicè sumptam (imò, & parcissimã) abhorreat; quod significauit Hippocrat. 5. aphoris. comm. 16. dicens: *Calidum, vbi quis sæpius eo vtitur, hæc mala affert, carnis efeminationem, neruorum imbecilitatem, &c.* Quæ verba explicans Galenus in commentario ait: *Nam & hi* (loquitur de neruis) *fiunt imbeciles cum eorum substantia á calore disoluatur.* Ergo à fortiori calor febris ardentissimæ resolutionem substantiæ hepatis elliciens ipsi effeminationẽ, ac imbecilitatẽ afferre potest: ergo, & hydropẽ: patet conseq. quia per istũ Doctorem iecur, seu ipsius facultas sanguificans ideo generat aquæum humorem, & sic hydropem, quia est imbecille redditum, ergo in ardentissima febre etiam si absit vsus immodicus aquæ, aut alterius rei frigidæ laborans propter calorem resoluentem in hydropem incidere potest. Ratio autem propter quã non quęlibet febris ardens producit hydropem, est, quia non quælibet iuxta hanc communem sententiam introducit sufficientem resolutionem partium calidarum iecoris (non enim quodlibet agit in quodlibet, sed determinatum indeterminatum) ad quam resolutionem sequitur defectus caloris natiui in quanto respectu principij generationis (qui defectus caloris natiui communiter

dicitur

dicitur frigida in temperies priuatiua, quæ poteſt cauſari à frigiditate inminuente calorem naturalem, & à calore reſoluente) cum igitur non quælibet febris ardens inducat iecoris ſufficientē reſolutionem caloris natiui in quanto; ideo non quelibet producit hydropem.

Neſcio tamē (Iudices per docti) quid ſibi vult Doctor ille. Quippe qui loquens de calore febris ardentiſsimæ ſubdit: *Et tunc præſertim cum victorioſa agat actione; & contrariū valde remiſſum, ne dicam victum, præſens obtineat.* Quaſi in alijs febribus calor non agat actione victorioſa: & contrarium victum præſens obtineat; etenim, aut ego hanc doctrinam (cuius nullus extat claſicus author) non aſſequor; aut ipſa nihil veritatis præſefert.

Probat Author ſuam, & communē ſentētiā.

Suppoſita igitur illa communi ſententia, per facile complicatio prędictorum affectuum probatur: nō ſolum reſpectu diuerſarum noſtri corporis partium: verū etiam eiuſdem: ita vt eadem pars, iecur ſcilicet, ſit ſimul hydropicum, & tabidum febricitans, hoc quatenus eſt affectū diſtemperie calida, & ſicca habituali, illud vero participet in ordine ad aquæ productionem. Cur autem iecur affectum diſtemperie calida, & ſicca non ſemper producit aqueum humorem præterquam quod ſupra rationē inſinuabimus: forſam petenti alibi ipſam clariorem reddemus.

Ex doctrina Hippocrates.

Sed concedamus hydropem ſemper oriri ex diſtemperie frigida; probo tamen authoritate, & ratione complicationem prædictorum affectuum 1. ex Hippocrate 3. epydiemar. textu 66. *Tabeſcentes, inquit, ædemata infeſtabāt, quæ in aquam inter cutem eruperunt.* Quod idem clariſsimis verbis docuit textu antecedenti, dicens: *Horum pauci moriebantur ex aqua inter cutem, &c.* Ergo cum ibi loquatur Hippocrates de tabidis febricitantibus apperte infertur; tabidam febrem hydropi coniunctam eſſe poſsibilem.

Idem

Idem probari poteſt ex eodẽ Hippocrate lib. de inter nis affectionibus. Vbi proponens nobis tres tabes, ſic ait. *Tertia tabes ab hac hac patitur. Medulla ipſius eſpinalis ſanguine plena fit. Tabeſcit autẽ ſimiliter, & à venis cauis. Hac vero pituita hydropi formi, & bile replentur. Patitur autem eadem abutris tãdem tabeſcat. Et homo ſtatim niger fit, ac ſubtumidus.* In quibus difficillimis verbis plura ſcitu digna admirabiliter docet, vt forſam alibi iuxta noſtri ingenioli vires attingemus; in præſenti autem mihi ſufficiat ſupponere, quod Hippocrates in illis verbis agit de hydrope complicata febri tabidæ, vt conſtat ex ſerie verborum: præcipuè tamen ex auxilijs, quibus ibi ipſemet magnus Hippocrates vtitur. Et ne videar ad libitum loqui, acutiſsimum Valleſium audiamus 5. Epidiema. cõm. 65. vbi dubitans ipſe. *Cur hydropico de quo loquitur in præſenti admirandus Hippocrates vinũ nigrum, & iucũdum, illi vero Epidiemarum dat vinum album, & tenue?* Hoc dubiolum ſic ſoluit accutiſsimus vir dicens: *Si enim hominem, qui potu, aut cibo frigidis, aut otio, aut obſtructionibus factus ſit hydropicus, cures, dare debes vinum album & tenue, vt fluidius fiat verſus quaque corpus; ſi vero, qui ex febre coliquante cũ extrema extenuatione melius dederis nigrũ craſiſsimũ, & maxime auſterũ, craſsiciem enim debes huic corpori procurare, & euacuationes ex albo maxime timere* (Et ne explicationi ſit locus) ſubdit, *Verum hac complicatio iam affectionum eſſe videtur,* Hęc Valleſius: vbi tãquam certam admittit cõplicationẽ hydropis cum febre extremę extenuationis, cui craſsicies maximè tanquam medela eſt, albi autem pro fluuiũ tanquam ſignum maximè timoroſum: quę (ſi mauit Doctor Silua) ſit febris tabida; ſi vero ipſe nollit ſit febris H. quia de hac eſt eadem difficultas. Eſt enim febris cum extrema extenuatione, & ex conſequenti cum ſiccitate morboſa, hydropi tamen complicata, vt clarè dicit Valleſius. Ergo ſimiliter febris tabida hydropi compli cari poteſt.

Dubium excitatur

Soluitur dubium.

Plures

Plures alios Authores omitto pro nostri placiti confirmatione, quando mihi instar omniū sit vnus maximus D. Petrus Garcia Carrero; qui libro de locis affectis disputatione 58. cap. 8. tanquam certissimam, & experientia quotidie confirmatam hydropis cum febre marasmode complicationem admittit. Quibus authoribus præsuppositis, rationibus euidenter nostram confirmemus sententiam.

Ex ratione probatur 1. Authoris assertum.

Probatur primo, quia febris tabida essentialiter est distemperies calida, & sicca cordis: sed hæc est compatibilis cum distemperie frigida iecoris, in qua essentialiter morbus hydrops cōsistit: ergo prædicti affectus complicari possunt in nobis. Probatur minor, quia distemperies calida, & sicca cordis est in diuerso subiecto ab illo, in quo est distemperies frigida iecoris, vt per se patet: illa enim est in corde, hæc vero in iecore: ergo prædictæ distemperies compatibiles sunt: patet cōsequentia, quia distemperies calida, & frigida ideo ad inuicem se expellerent, ac per consequens non essent compatibiles, quia essent circa idem subiectum, non vero circa diuersa: contraria enim sunt. *Quæ ab eodem subiecto mutuo se expellunt*, vt ex ipsa contrariorum diffinitione constat.

Confirmatur primo, quia in statu naturali iecur, & cor habere possunt tēperamenta contraria: ergo etiā prædictos affectus in nostro casu; patet cōsequentia antecedēs vero probatur ex Galeno libro artis Medic. cap. 43. *Vbi ait humidius autem, & frigidius hepar habet hypocondria glabra, sanguinem vero pituitosiore generat cum venarum angustia, sic & reliquum habet corpus nisi a corde ad contraria transferatur:* Ergo hepar, & cor habere possunt simul temperamenta contraria; alias, quomodo corpus a corde transferatur ad contraria? Ergo etiam prædictos affectus simul habere possunt.

Confirmatur secundo, quia in nobis reperiuntur aliquando

quando ſimul egritudines maximé contrariæ; ſic docuit Galenus, lib. 10. Metho. cap. 10, Auicena ſem. 4. doct. 5. lib. 1. cap. 1. ergo etiã hydrops, & febris tabida poſſunt reperiri ſimul: etiamſi ſint maximæ contrariæ egritudines.

Probatur 2. ex ratione aſſertũ Authoris.

Probatur vltimo ratione potiſsima Doctoris Siluæ, quippe qui ideò negat prædictam complicationẽ, quia impoſsibile eſt quod idem numero corpus ſit ſimul calidum, & frigidum, humidum, & ſiccum; ſed ſic eſt quod tale corpus eſt poſsibile: ergo etiam prædicta complicatio; probatur minor ex Galeno lib. de cauſis morborum, cap. 6. vbi ait; *Etſi verò nullo modo fieri poſſe, videatur, vt vnum & idem corpus calidum vna efficiatur, ac frigidum: humidumq́, & ſiccum pluſquam natura ſit opportunum: tamen & hoc ipſum vſu contingit, & merito diſtemperies inæqualis appellatur:* Idẽ docet lib. 2. de differen. febrium, cap. 6. vbi explicans eſſentiã febris hepiali, *Quæ talis eſt, inquit, quando ſimul febricitant, & rigent, atq; eodem tempore in toto corpore vtrunq́ ſentiũt affectum:* quod idem repetit lib. de Inęquali intemperie, cap. 8. *Porrò, inquit, componitur ex hac intemperie (loquitur de rigore) & ea quæ febricitantium eſt, hepialus, appello ita febrem illam, cui ambo ſemper accidunt:* In quibus locis clariſsimẽ docet Galen. vt terminis ipſius patefit, quod idem numero corpus ſimul, & eodem tempore poteſt eſſe calidum, & frigidũ, humidum, & ſiccum: ergo à fortiori poteſt eſſe hydropicum, & tabidum febricitans.

quinta obiectio contra Galenum.

Sed iam video Sophiſtas inſurgentes contra diuinũ Galenum, qui in locis parumper citatis docet contraria eſſe ſimul in eodem ſubiecto, quo nihil (dicent forſan) abſurdius in Philoſophia excogitari poteſt. Sequeretur inde idem mobile poſſe moueri ſimul motibus contrarijs, quod rationi repugnat quam maximé.

Reſp. obiectioni.

Hæç argutio facile ſoluitur eiſdemmet Galeni verbis quippe qui tanquam Philoſophus eximius contraria in

eodem subiecto simul non admittit, phisicè loquendo; seu secundum rei naturam, imó cõtrarium docet, dicẽs: *Nullo modo fieri posse, vt vnum, idemq́; corpus calidum vna efficiatur, ac frigidum, humidumq́; ac siccum plusquã natura sit opportunũ;* In quibus verbis appertê negat contraria, secundum rei naturam idem corpus vna afficere. Hoc autem (medicè loquendo) medicis persępe euenit, quod explicauit dicens; *Tamen hoc vsu contingit,* idest praxi medica idq́; Chirurgi, ac aliqui Medici vulgares iureiurando affirmabunt tactu percipere in edemate crisipilatoso eãdemmet partem afficiente, falluntur certê ipsi, ac ipse fallitur sensus; quia iuxta rei naturam impossibile est contraria esse simul in eodem subiecto; quod si inquam ita vsu cótingit, ideo est, quia illa contraria sunt in diuersis partibus subiecti: quę quia paruissimæ sunt, medici fugiunt sensũ; est enim artifex sensualis: ideoque eadem pars quoad sensum est eadem, itaque si eadem pars quoad sensum potest esse simul calida; & frigida, humida, & sicca, ita similiter totum corpus potest simul illis contrarijs affectionibus affici, vt modo docuit Galenus; & ex consequenti potest esse simul hydropicum, & tabidum febricitans. Vltra quod istæ affectiones sunt morbi essentialiter diuersarum partium, vt diximus; vnde ex nullo capite cõplicatio prædictorum affectuum repugnat.

Cõcludit, euersi D. siluæ

Ex quo fundamento manẽt solutæ reliquæ obiectiones illius Doctoris, quippe quæ omnes supponunt febrẽ essentialiter esse distemperiem calidam in totum extensam corpus, in quo manifestê ille errat; quia febris essentialiter est distemperies calida cordis ex natura sua ad totum corpus communicabilis, nisi aliunde impediatur, vt eisdemmet verbis docuit Auicena fem.1.quar.tractu 1. cap.51. quod desumpsit ex Galeno infinitis ferè locis, præsertim 3.epidemiar.comm.3.cap.1.& hæc est sententia communis in medica schola.

Febris

Febris autem vocatur apud Doctores distemperies calida totius corporis aptitudinalis, cum qua compatibilis est distemperies frigida in iecore, & alijs partibus viuentibus; & sic experientia persæpe videmus quamplurimos febricitantes, qui præ ardore ac incendio, quod in visceribus sentiunt, nec tegumenta quidem tolerant, & aliàs partes exteriores præ frigiditate morbosa, veluti emortuæ manent. Videat ergo Doctor Silua quomodo febris necessarió est calor in totum extensus corpus? quod si Galenus lib. de causis morborum, cap. 1. illud videtur docere; parum infra se explicat dicens; *Et hæc deinceps, siue proximam* (explicabat ipse modum quo causæ calidæ excitant febrem) *atq; ita vsq; ad principium insiti caloris* (hoc est cor) *vbi peruenerit intemperies, totum celeriter corpus principij sentit affectum*; Quasi dicat totum corpus sentire seu alterari distemperie calida, quia sentit affectum cordis, quem esse formaliter febrem claré supponebat Galenus (erat enim affectus calidus cordis) & ideo ipse non dixit febrem, sed affectum, hoc est morbum calidũ cordis, á quo in totum corpus extenditur ex natura sua, nisi aliunde impediatur, vt diximus; itaque si marasmus est distemperies calida totius corporis, ratione febris, vt dicit ille Doctor. Et febris, quatenus febris non est necessarió distemperies calida actualis corporis, sed aptitudinalis, hæc compatibilis est cum distemperie frigida iecoris, & ex consequenti cum hydrope, multis igitur modis manet truncata prima illius obiectio.

Obijcit secundo, quia admissa hac cõplicatione sequeretur, quod marasmus non esset distemperies calida æqualis totius corporis; cuius contrarium videtur docere Galenus, 3. de locis affectis. cap. 2. *Secunda obiectio.*

Huius obiectionis manet ex dictis solutio; ad rationem enim essentialem marasmodis sufficit distemperies calida æqualis cordis. Quod si Galenus ibi, aut alibi, dixit *Res. obiectioni secundæ.*

dixit esse distemperiem æqualem totius corporis, intelligitur ipse modo absit impedimentum.

Tertia obiectio Tertio obijcit, quia ex nostra sententia sequeretur, quod marasmus torridus esset curabilis per aduentum distemperiei frigidæ hydropis, quod est contra Galenũ, 1. de differen. febrium. c. 8.

Resp. Huic obiectioni respondetur negando sequellam; quomodo enim precissè per distemperiem frigidam iecoris esset curabilis marasmus, si in corde remaneret distemperies calida, & sicca? Minimè. Rursus si iecur marasmode affectum, ex distemperie calida transit in distemperiem frigidam morbosam, quomodo esset curabilis? Transit enim de morbo calido ad morbum frigidum. Pręterquamquod marasmus non est incurabilis propter distemperiem calidam, sed siccam, vt vnicè docet Galen. lib. 10. method. cap. 10. & ideo etiam si per distemperiẽ frigidam iecoris excluderetur contraria, adhuc non esset curabilis marasmus: transiret enim iecur ex marasmode torrido in marasmodem senectutis.

quarta obiectio. 4. Obijcit, quia ex nostra sententia sequeretur, quod in marasmode iam esset in corpore vna pars, quæ ageret in aliam, & sic marasmus esset facile curationis.

Resp. Hæc obiectio nulla est; supponit falsum fundamentũ, circa essentiam distemperiei æqualis, quam non esse assequutum Doctorẽ Siluã, tertia euersione claré probabimus. Reliquæ obiectiones sunt sine fundamento. Et ideo his omissis, ad tertiam euersionem accedamus.

EVERSIO TERtiæ impugnationis.

ALIQVID

ALIQVID amplius (ſapientiſsimi Iudices) im morabimur in enucleãda hac noſtra tertia euer ſione, quam in proximè præcedenti; eòquod & difficilior, & grauior ipſa, vtpotè quæ ad ſui exactam perceptionem, prænoſci exigit non paucas, nec leues dif ficultates philoſophicas; conſiſtitque eius pu ntum: *In quo ſcilicet ſita ſit cauſa, ex qua calori hectico proueniat eſſe habi- tualem.* *Difficul- tas.*

Pro huius rei intelligentia ſuppono ex communi Me dicorum decreto: febrem vt ſic diuidi in tres ſpecies, pe nes diuerſas materias, ſeu ſubiecta, in quæ calor febrilis, *Accenditur acceſsione primo*, vt verbis Auicenæ vtar, ſeu (vt clarius loquar) *ponitur in habitu*: quæ diuiſio maximê eſt ne ceſſaria ad vſus medicos, ita vt quando calor febrilis po nitur in facto inſpiritibus, datur febris diaria: quando in humoribus febris humoralis: quando in partibus viuen tibus cordis datur febris hectica. Communis autem me dicorum ſchola docet, quod calor ille, qui inheret forma liter in ſpiritibus, & humoribus, nõ eſt formaliter febris, ſed cauſa; quatenus ipſe calor alterum diſtinctum nume ro producit in partibus viuentibus cordis, cui inheret fe bris diaria, aut humoralis, prout ipſa fit, & conſeruatur á humoribus, ſeu ſpiritibus. Itaque calor, ſiue diariæ, ſiue humoralis, ſiue hæcticæ febris formaliter eſt calor præ ternaturalis inhærens cordi; cum hac tamen apud Medi cos differentia, quod calor febris diariæ, & putridæ, re ſolutis ſpiritibus, & ablatis humoribus, remanet vt diſ poſitio, quæ ex natura ſua eſt facile mobilis à ſubiecto; calor verô febris hecticæ, etiamſi auferatur cauſa ſui pro ductiua, remanet vt habitus, difficile mobilis à ſubiec to. *Notanda pro diffi cultate.*

His præiactis Medicis principijs, iam omnibus diffi cultas innoteſcit Philoſophis; quia ſi idem ſpecie, ac nu mero calor inhærens cordi depẽdens infieri, & conſeruari

nem curatiuam. Hęc apparens contradictio facile soluitur supposita communi sententia medicorum; qui docent febres diarias esse induplici differentia; aliæ enim sunt diariæ natura, & constitutione, quæ per spacium vnius diei, à quo sumunt denominationē, extendũtur; aliæ verò sunt diariæ natura tãtũ: quia & si immediatè depēdeant ab spiritibus inflãmatis, nihilominus fouentur ab aliqua causa præsenti præternaturali, veluti magna cutis contispatione ventriculi cruditate, & similibus; quæ de nouo valent spiritus accendere, & sic febrem diariam prorrogare per aliquot dies. Ex qua doctrina soluta manet difficultas; Galenus enim rectè dicit, 8. methodi citato in omnibus febribus; quæ pluribus diebus affligunt sumendam esse indicationem á causa; sub quibus comprehenduntur febres diarię natura, non verò constitutione: quippe quæ per plures dies extenduntur; & ab aliqua causa præternaturali indicationis curatiua fouentur; loco autem methodi 11. citato loquitur Galenus, de diarijs febribus natura, & constitutione, in quibus nou sumitur indicatio à causa, quia tales dependent ab spiritibus inflammatis, ex natura sua facillimè disipabilibus: & ideo circa ipsos medicus remedia nõ molitur.

Augetur præcipua difficultas amplius.

His obiter dictis redeamus ad nostram difficultatem, quam celebrem reddit argumentum Lusitani Gometij Pereyræ in sua noua medicina: cur si aqua calida separato calefaciente, reducitur ad pristinam frigiditatem, non vero corpus hectica febre laborans, quia sicut aquę calor est malus, ac disconueniens, sic febris hectica corpori viuenti? ergo sicut aqua reducitur separato calefaciente: sic corpus hectica laborans separata causa febris hecticæ productiua, debet reduci ab intrinseco, cuius cõtrarium experimur.

Suppositis igitur tanquam certis fundamentis febris hecticæ calorem esse difficilé mobilem, vt constat experien-

rientia, & medica ſchola docet; & quod calor hecticus illud, nec per rationem formalem habitus, aut cauſæ cōſeruantis permanentiam aſſequitur, eſt grauiſsima difficultas. Vnde calori hectico proueniat eſſe difficile mobilem à ſubiecto?

In qua Doctor Simon de Silua aſſerit; *Febrem hecticam eſſe difficile mobilem à ſubiecto, quia eſt diſtemperies calida æqualis totius corporis.* Cuiuſmodi dicendi vis, vt clara fiat aliqua illius Doctoris fundamenta ſunt perpendenda; in primis aſſerit, quód quando mixtum producitur ex elementis, nihil aliud remanet in materia illorum, quàm qualitates primæ commenſuratæ, & proportionatæ, prout formæ ſubſtantiali introducendæ conuenit. Cuius fundamenti nullam adducit rationem. *Aſſertū D. Siluæ* *Primum fundam.*

Secundô aſſerit, quòd illæ qualitates proportionatæ temperamentum conſtituunt, quod eſſe formam corporis mixti, quatenus mixtum eſt, ipſe libenter affirmat: ac nititur probare ex Galen. 1. de vſu par. cap. 9. & 1. methodi, cap. 6. in quibus docet, temperamentum complere ſubſtantiam vniuſcuiuſque particulę. Quod idem clarius docet 2. de natura humana. Probat vlterius ille Doctor ſuam aſſertionem, quia ex Ariſtotele; *Forma eſt ratio quidditatis, ſiue eſſentia, a qua res totum ſuum eſſe habet*; Sed ita ſe habet temperamentum reſpectu corporis mixti, cum propriam corporis mixti eſſentiam compleat, vt vidimus modó ex Galeno: ergo euidenter infertur temperamentum eſſe formam corporis mixti. *Secundū fundam.*

Aſſerit tertiò, temperamentum eſſe naturam corporis mixti; quod ita eſſe docuit Galenus locis parumper citatis, & probatur ratione; *Quia natura eſt principium, & cauſa motus eius, in quo eſt, primo, & per ſe, & non ſecundum accidēs*, ſed huiuſmodi eſt tēperamētū in mixto. Ergo tēperamentum eſt natura; minor probatur, quia mixtum alterare natum eſt, & actu alterat, ſed non niſi temperamen- *Tertium Siluæ fundamentū*

 to

to, vtpotè conſtituto ex qualitatibus actiuis: ergo, &c. Quod idem videtur docere Ariſtotel. 2. phiſicor. cap. 1. textu 2. itaque quia temperamentum eſt principium alterationis in mixtis eſt natura ipſorum, ac perconſequẽs temperamentum, & natura ſunt idem.

Quartum D. Siluæ fundam.

His iactis fundamentis philoſophicis; altera ſupponit medica ille Doctor, in primis febrem hecticam eſſe diſtemperiem calidam æqualem totius corporis, ita vt in ipſo corpore hectico omnes partes eandem participent intemperiem calidam, ſint ſimiles, & conſequenter non poſsint ipſę adinuicem inter ſe agere; quod ita videtur docere Galenus lib. 1. de inæquali intemperie, cap. 1. dicens; *Itaq; etiam hecticæ febres omnes tunc ſine dolore ſunt, tunc nec ſenſu ab his, qui ipſis laborant perceptæ non ex earum particulis hæc agit, hæc patitur cum omnes inter ſe iam ſimiles ſint redditæ.*

Quintum fundam.

Supponere videtur vltimò ille Doctor ſanitatem in hecticis oriri neceſſario ab intrinſeco principio, ſeu à natura, & reddit rationem; dicens, quia ſanitas affectus naturalis corporum cum ſit, ab eorum natura originem ducere debet; quod videtur docere Hippocrates 6. ephide. ſectione 5. textu 1. dicens; *Naturæ morborum medicatrices*: & lib. de alimento idem Galenus in commentarijs videtur confirmare.

probat iã D. Silua ſuum aſſertum.

His ſuppoſitis, ille Doctor febrem hecticam eſſe difficile mobilem probat: quia eſt diſtẽperies calida æqualis, in qua omnes partes ſunt ſimiles inter ſe: ergo vna pars non agit in aliam: ergo non poteſt remoueri dictus calor hecticus à partibus ipſis; & ex conſequenti videtur ille Doctor inferre, quod ideo calor hecticus ſit difficile mobilis antecedens eſt certum ex ſuppoſitis, conſequentia prima eſt clara, ſecunda manet probata ex dictis; calor enim ille non poteſt remoueri niſi per aduentum ſanitatis, quæ ab alio principio intrinſeco debet oriri; ſed hoc non datur in hecticis: quia temperamentum,

quod

quod est natura, est omnino præuersum, vt vidimus: ergo calor ille non potest remoueri; & sic est difficilé mobilis: quo nihil clarius, nihil euidentius, inquit ille Doctor dici potest.

Et si aliquis ab illo inquirat, vtrum calor febris hecticę aliquam causam obtineat conseruantem? Respondet ipse, calorem hecticum conseruari ab elementis: idē dicit de calore aliarum febrium; cum hoc tamen discrimine, quod calor hecticus immediaté, alter verò mediatè ab elementis conseruetur; cum immediaté ab humorum putridorum, & spirituum inflammatorum calore dependeat. Idem consequenter dicit de calore naturali cuiusque mixti; quia calor semper est virtus elemētorum; virtus autem cuiuslibet agentis necessario semper pendet, & conseruatur ab ipso agente, cuius est virtus; propterquam causam mixtum resoluitur in elementa: quia cum in ipso remaneant virtutes elementorum, horum quodlibet conatur assimilare passum per suas virtutes in illo derelictas: quod non fiet absque conseruatione, & influentia actuali elementorum in ipsas; quia cum remissę sint, non possunt intensionem debitam elementorum producere; itaq; sumariè afferit ille Doctor, quod calor semper conseruatur ab elementis; calor autem hecticus est difficile mobilis, quia est distemperies calida æqualis: & ideo est hecticus: calor verô aliarum febrium est facile mobilis, quia est distemperies inæqualis.

calor hecticus conseruatur ab elem. iuxta D. sil.

Iste modus dicendi est falsus, ac improbabilis: fundatur enim in principijs falsis, ac improbabilibus, quæ vt omnibus notiora fiant, suppono ex bona philosophia, quod quando fit mixtum per veram mixtionem, quatuor solúm alterationes reperiuntur: motus scilicet localis, quo approximantur miscibilia alteratio eorundem. Tertio productio formæ substantialis, vltimo actio vnitiua substantialis materiarum; certum autem est apud Philosophos

Displicet assertum D. silua.

losophos motum localem, & eorundem alterationem non esse formaliter mixtionem, de motu locali per se patet; de motu alterationis constat ratione: siquidem elementa possunt se alterare, quin detur mixtio: de alijs verò est aliqua difficultas, quouis autem modo dicatur certum est mixtionem includere essentialiter productionẽ formæ substantialis mixti; quod non obscurê docuit Philosophus, 1. de Generatione, cap. 10. dicens; *Mixtio est miscibilium alteratorum vnio*: vbi Interpretes per vnionem explicant generationem alicuius tertij continentis virtualiter miscibilia.

Forma mixti est actus substantialis.

Ex hoc principio philosophico clare infertur formam mixti esse actum substantialem; & ratio est clara; quia mixtum dicitur tale per mixtionem, sed hæc identificatur cum suo termino, qui quidem est forma substantialis continens virtualiter miscibilia. Ergo forma mixti est actus substantialis.

Reijcitur D. Silua

Ex qua doctrina constat quantum erret Doctor Silua supra dicens, temperamentum esse formam, essentiam, atque naturã mixti, quomodo enim totum substantiale, quale est mixtum, totum suum esse ab accidenti, quale est temperamentum tanquam á forma essentialiter cõstitutiua, habere potest? Absit. Nec valet si dicat, quod corpus mixtum quatenus mixtum habet totum suum esse á temperamento; quia corpus mixtum, etiam reduplicatiuè, quatenus mixtum est, dicit corpus substantiale habens suum esse â mixtione, seu termino mixtionis, qui est forma substantialis, vt diximus. Addo quod temperamentum, vt ipsum indicat nomen, dicitur ab attemperãdo, sed attemperatio non est mixtio: siquidem elementa possunt se attemperare, quin producatur mixtum: ergo temperamentum non est forma mixti. Quod si Galenus locis supra citatis videtur contrarium docere perfacile explicatur, ibi locutum esse de esse accidentali, non veró

deesse substantiali mixti. Prӕterquamquod, si verum fateri licet, noster Galenus sӕpe nonnullis videtur confundere essentiam temperamenti, cum esse substantiali mixti, vt hac nostra ętate perdoctum habemus á domino domino Doctore Antonio Ponce de Santa Cruz, Medico Regio, ac generali Prothomedico, opusc. 6, de humoribus, cap. 7. *Vt hinc etiam colligas, inquit, nostrӕ medicinӕ vnica lux resplendentissima, Auicenam non confundisse in vnam rem essentiam membri, & eius temperiem, vt multoties facit Galenus cõtra principia philosophiӕ.* Locus autem Philosophi adductus ab illo Doctore, tantum abest á suӕ assertionis conformatione, vt potius ex eodem loco in contrarium conuincatur: omnes enim Interpretes Philosophi docent definitionem naturӕ supra adductam solum conuenire materiӕ, & formӕ substantiali, quibus conuenit esse primò per se, non verò accidentalibus: & ex consequenti nec tẽperamento: ergo temperamentum non est natura mixti, quia ipsi non conuenit definitio naturӕ.

Pro qua re supponenda est doctrina Angelici Doctoris sancti Thomӕ, 4. contra Gentes, cap. 44. vbi postquam dixit, formam mixti dupliciter accipi posse, & per actum substantialem corporis mixti, & per qualitatem quandam contemperatam, & compositam ex primis qualitatibus (quod est temperamentum) subdit; *Quod ita se habet ad formam substantialem corporis mixti sicuti se habet qualitas simplex ad formam substantialem corporis simplicis*: In quibus verbis docet sanctus Doctor, quod sicut qualitas simplex deseruit ad conseruationem, & operationes corporis simplicis, seu elementis, ita temperamentum eodem prӕstat vsus in ordine ad corpus mixtum. Ex qua doctrina certissima infertur, quod sicut est error, in philosophia asserere qualitatem simplicem esse essentiam, naturam, atque formam corporis simplicis, seu elementi ita similiter est error asserere, temperamentum esse naturã,

for-

formam, ac essentiam corporis mixti, quod patet euidẽter, quia si Deus miraculosè conseruaret formam aquæ in materia prima sine frigiditate, & humiditate: sine dubio aqua in illo statu esset corpus simplex: ergo similiter si conseruaret in materia prima formam substantialem lapidis, v.g. sine temperamento absque dubio lapis in illo statu esset corpus mixtum: ergo temperamentum nõ est quod dat esse mixto (vt asserebat ille Doctor) sed est accidẽs deseruiens formæ substantialis mixti, cui naturaliter debetur.

Tẽperam cõponitu. ex primis & secun. qualitat.

Temperamentum autem non solum componitur ex qualitatibus primis, sed etiam aliquibus secundis pertinentibus ad modum substantiæ, seu mixtionis; qua in re falsus euadit Doctor Silua, negans omnes qualitates præter primas in mixtis: in his enim pręter qualitates primas dãtur aliæ altioris ordinis, vt patet ex mirabilibus operationibus, quas aliqua mixta eliciunt, sic structio camelus concoquit ferrum; hoc attrahit magnetem; & sic de alijs effectib⁹, quos minimè qualitatibus primis tribuere possum Philosophi. Sic in nobis qualitas quędam pro sensu, & motu necessaria: qualitas etiam pro pulsu datur; quas quidem qualitates esse temperamentum, aut aliquam qualitatem ipsum componentibus est falsum; alias læsio facultatis: v.g. animalis esset vitium in temperamento, cuius contrarium praxis medica obseruat. Dantur ergo in mixtis præter primas qualitas alię secundæ pertinentes ad modum mixtionis, seu substantiæ, quales sunt tenuitas, densitas, mollicies, & duricies, quas (nisi fallor) Galenus appellat proprietates totius substantiæ, vt videre licet libro, de cõsuetud. cap. 2. lib. autẽ 5. de simp. medic. facul. cap. 2. illas qualitates secdas, aut tertias appellat (inter quas collocant communiter Medici, ac Philosophi qualitatem terminantem coctionem, putredinem, vstionem) itaque in mixtis præter primas quali-

qualitates dantur aliquæ secundæ pertinentes ad modū mixtionis, quæ quidem simul cum primis adinuicē proportionatæ temperamentum constituunt; falsum ergo negat Doctor ille mixtis huiusmodi qualitates.

Asserit præterea qualitates primas semper conseruari ab elementis; quod probat: quia ipsæ sunt virtutes elementorum. Quam propositionem debemus explicare, quia si per virtutes intelligit passiones elementorum, vt ille Doctor dicit folio 9. suarum assertionum, de frigiditate respectu aquæ: in hoc sensu ille fallitur manifestè *Proprium enim* (inquit Philosophus, 1. thopicor. 4. cap. *est quod non indicat quid est, esse rei, soli autem inest, & conuersim prædicatur.* ergo si frigiditas (v.g.) est propria aquæ passio soli aquę inest, & conuersim prædicatur; quod in Philosophia est ridiculum. Si autem per virtutes intelligit passiones acceptas. Primo, secundo, & tertio modo decipitur ille Doctor, vt per se patet, aut dicat nobis in qua acceptione ex illis.

Licet veró aliqui Philosophi existiment qualitates primas in gradibus intensis esse passiones elementorum in ea acceptione; *Quod proprium sit quod conuenit soli.* Nullus tamen hucusq; affirmauit qualitates primas quouis modo sumptas esse passiones elementorum. Si autem nomine virtutis intelligit accidens commune mixtis; in hoc sensu verum est dicere qualitates primas esse virtutes elementorum: quia in mixtis manent accidentia, quæ fuere in elementis; falsum tamen est, & contra veram philosophiam asserere qualitates primas semper conseruari ab elementis: quia vt experientia patet, calor; qui est prima qualitas conseruatur á corpore luminoso, sine dependentia ab elementis. Idem etiam dicendum est de alijs qualitatibus primis respectu aliorum astrorum, in quibus eminenter continentur, falsum igitur asserit Doctor iste qualitates primæ semper conseruari ab elemētis.

per

per actualem influentiam.

Quod amplius ostenditur, quia calor, qui est in humore putrido, (v.g.) aut est depêdens ab igne, aut independens; si hoc vltimum: ergo intentum: si illud, ergo calor, qui est in humore putrido, non est in habitu; quod est cõtra communem consensum medicum; patet consequentia: quia calor ille est dependens ab igne.

Dicet aliquis consequenter iuxta placitum illius Doctoris, calorem, qui est in humore putrido, esse in habitu: quia est distemperies æqualis in ipso; contra, sic argumẽtor: quia calor, qui est in humore putrido, aut dimanat á forma substantiali ipsius; quod si admittit ille Doctor, incidit inopinaté in foueam, quam fugit: quia ille calor est malus, ac disconueniens formæ substantiali humoris; si autem respondeat, calorem illum produci ab aliqua causa putrefaciente, sequitur euidenter, quod calor, qui est in humore putrido, non sit æqualis: quia omnis causa agit vniformiter difformiter : ergo etiam causa illa putrefaciens: ergo huic partes humoris proximiores intensiorem calorem recipiunt, quàm distantes : ergo calor ille producitur inæqualiter: ergo nó producitur ęqualiter; & ex consequenti nec est habitualis. Patet sequella quia per illum Doctorem calor ideo est habitualis, quia est æqualiter productus.

Calor hecticus non conseruatur ab elementis.

Ex quo fundamento philosophico probatur euidenter, impossibile esse calorem hecticum conseruari ab elemento ignis (quod idem affirmo de aere) etiamsi febricitans corpus ponamus in debita distantia proximum; quia ignis ordine naturali, non potest non calefacere vniformiter difformiter passum sibi proximũ. Quo supposito, inquiro, an partes corporis hectici igni proximiores sint calidæ in eodem gradu caloris, quem habẽt partes distantes: an in diuerso; si hoc vltimum : ergo febris hectica non est æqualiter distemperies æqualis, vt

asserit

asserit DoctorSilua: si primum, probo euidenter intentũ; quia ignis non potest producere distemperiem calidam ęqualem in omnibus corporis partibus, cum semper inæqualiter agat; ergo neque conseruare; consequentia est euidens apud Philosophos; antecedens manet probatũ ex suppositis.

Imò addo, ignem necessarió corrumpere calorẽ hecticum; quod patet non minus euidenter, quia per istum Doctorem calor hecticus formaliter est distemperies calida æqualis, hoc est, eiusdem intensionis partibus corporis, sed huiusmodi distemperies incompatibilis est, cum illa quam necessariò producit ignis: patet quia iste semper producit distemperiem inæqualem, quæ quidem est incompossibilis cum distemperie æquali (in illo sensu, quem adducit illle Doctor) in ordine ad eundem terminum.

Ignis necessarió corrumpit distemperiẽ æqualem.

Vltimò reijcitur, quia fictitia est illa influentia, qua ignis conseruat calorem in omnibus mixtis; (quod idem affirmo de alijs elementis, respectu aliarum qualitatum primarum) nam illa influentia aut est phisica, aut moralis, si hæc assignet nobis ille D. causam imperantẽ, consulentem, aut rogantem, quæuis enim harum facilis est impugnatu, si illa necessariò est calefactio, cum sit actio terminata in calorem, quomodo ergo calefactio dependẽs ab igne existente in sua regione, ad nostram semper peruenit intensa, si aliás in medio stat aeris frigidissima media regio? Absit imaginatio Doctoris Siluæ, & videat ipse quomodo à tenebris in lucem prædicta asserta philosophica restituat? Verius enim diceret, quod ipsa ipse è luce in tenebras educit.

Causa vniuersalis producit dispositiones præuias ad formas elementorum.

Superst autem explicare causam, propter quam mixtum transit in elementa, etiam si in mixto non dentur ipsorum virtutes cum actuali ab eis influxu, vt asserebat Doctor Silua. Dico ergo mixtum transire in elementa,

propter quamdam naturalem subordinationem, quam in multis alijs formis inueniri, experientia docet; sic videmus, quod ex viuenti fit cadauer, ex vino acetum, ex sanguine lac: similiter ex elementis fit mixtum, & hoc naturaliter transit in elementa, vtrumque etenim est praxis ipsius naturæ (quam in eadem imitatur ars) quæ quidẽ natura in generatione mixti imperfecti incipit ab imperfectioribus, vt videre est in homine, ad cuius generationem incipit natura ab elementis omnium corporum inperfectissimis, & sic gradatim ascendit ad perfectiora; & ratio sic incipiendi est, quia id quod est imperfectum, est facilius, cum egeat minori virtute productiua sui; econtraque se habet eadem natura in destructione mixtorum incipiens ab eo quo quod perfectius est (eo quod tale magis perfectum egeat maiori virtute conseruatiua sui) in qua corruptione, seu modo desinendi, non est transitus immediatus in elementa; sed ad hæc descendit medijs quamplurimis transmutationibus vsque ad mixtum omnium imperfectissimum, quod transit immediatê in elementa, non quia hæc influant in illud mixtum, sed quia cum naturæ non sit possibilis alia mixti generatio, ideo tunc ipsa natura cogitur producere formas substantiales elementorum (ne sit materia sine forma) & his præuias dispositiones, vt ex Suarez docet acutissimus Doctor Sancta Cruz, opus de elementis, cap. 4.

Manente vita, partes non participant eamdem intẽsionem caloris,

Afferebat præterea Doctor Silua in febre hectica omnes partes æqualem habet temperiem, ita vt omnes sint similes in calore. Quæ propositio indiget explicatione; etenim per æqualitatem, aut intelligit æqualem participationem caloris absolutê, ita vt manus sit calida in eadem intensione, quam habet cor; si, inquam, in hoc sensu loquitur ille Doctor; manifestê decipitur, impossibile enim est manente vita partes viuentes ita esse per calorem distemperatas; quomodo enim viuerẽt, si aliás

inter

inter ipsas non datur influxus: quia iste sine actione mini mê dari potest? Ergo si vita sine influxu partium inter se, & iste sine actione, & hæc inter omnino similia non potest dari; euidenter infertur de primo ad vltimum, quod impossibile sit manēte vita laborantis hectica febre omnes partes eandem caloris intensionem participare; & ex consequenti si in hoc sensu asserit ille Doctor partes habere æqualem temperiem dicit imposibile.

Si autem per distemperiem æqualem intelligit æqualitatem caloris, seruata huius proportione, quæ erat in statu naturali in singulis partibus; in hoc sensu verum dicit, febrem hecticam esse temperiem æqualem; falso tamen infert ex hoc fundamento: ipsam esse difficilem mobilem, vt infra euidenter probabimus; & quod illæ partes adinuicem inter se non agant, & reagāt; quia sicut in statu naturali, illæ partes adinuicem agunt, ita in statu illo hectico, seruata proportione caloris, de qua veritate nulli Medico est dubium.

Sed videtur contrarius Galenus lib. de inæquali intēperie, supra citato, vbi agens de febre hectica, sic ait *Non enim ex earum particulis hæc agit, hæc patitur.* Falsa igitur videtur nostra doctrina; hæc soluitur obiectio, supponēdo, tanquam certum: partes nostras viuentes dupliciter posse esse alteratas; æquali scilicet, & inæquali intemperie calida; hæc dicitur apud Vallesium, quem Mediti secuntur, quando omnes partes sunt calidæ præter naturaliter, seruantes tamen proportionem caloris, quæ erat in statu antecedenti (nos infra alio modo explicabimus distemperiem æqualem hecticam) illa veró dicitur inæqualis, quia in illa pars est calidior, prout maiorem putrescētis humoris copiam habet, & prout vicinior est mēbro, in quo morbi est radix: sicut ergo partes duplici hac intēperie æquali scilicet, & inequali possunt affici: ita similiter possunt dupliciter alterari, quando dicit Galenus,

Explicatur distēperies æqualis, et inæqualis

 Non

Non enim ex earum particulis hæc agit, hæc patitur. Per hæc verba minimè negat illis alterationem æqualem, sed inæqualem: quia hæc ab ipsisinet partibus sic alteratis, non potest prouenire; nam si calidę, & frigidę sunt æqualiter, æqualiter inter se adinuicẽm operantur, & ideo ipsemet Galenus reddens huius euĕtus causam, subdit; *Cum omnes inter se vnicam habeant consentientem temperiem*: Consonat Galen. Hippocrat. lib. de alimen. *Natura vna, confluxio vna, consentientia omnia*; quæ consonantia admirabilis, cum non posit consistere in participatione calori, æquali mathematica, mensuratur ipsa penes proportionem caloris naturalis status, in quo omnes partes vnicam habĕt consentientem temperiem, & omnes adinuicem agunt, non verò hęc agit, hæc patitur.

Rejicitur amplius D. silua. Ex proximis dictis abunde (ni fallor) manent reiecta fundamenta, quibus assertio imaginaria Doctoris Siluę nititur; quia tamen illam penitus destruere intendimus: demus illi omnes partes hectica laborantis posibilem æqualitatem caloris habere, ita vt in omnibus ipsis, siue interioribus, siue exterioribus, siue sperma ticis, siue sanguineis, in omnibus inquam detur calor, vt tria, v.g. & sic sit verum dicere, omnes illas partes esse æquales, in calorĕ similes, & sic affectæ non agant; adhuc tamen calor, vt tria est facile mobilis ab illis partibus; quoniam si ipsis applicemus agens frigidum vt quatuor, celeriter debĕt refrigerari: ergo etiam celeriter expelli debet calor ille vt tria: ergo erit facile mobilis; consequentia est euidens: antecedens probatur, supponendo tanquam certum, quod calor vt tria afficiens omnes partes viuĕtes, distinguitur à calore vt tria afficiente vnam tantum partem: penes hoc quod hic eandem partem, ille vero plures respiciat; quod quidem solum affert calori vt tria respectum quendam, seu relationem (aut ille Doctor aliam entitatem asignet) quæ non potest dari calori illi maio-

rem

rem in agendo actiuitatem: neq; maiorē in essendo cum frigore, incōposibilitatē, vt per se est clarū; hoc supposito, antecedēs probo, nā calor vt tria constituens febrem hecticam intrinsecè, & formaliter est distemperies calida (licet respectiuè ad omnes illas partes dicat ordinem in eodem gradu) sed distemperies calida celeriter expellitur per applicationem frigidi medicamenti: ergo etiam calor ille vt tria celeriter debet expelli per applicationē eiusdem medicamenti; maior patet ex dictis, minor est clara Galeni sententia, 7. metho. cap. 5. & alijs plurimis locis, consequentia est euidens.

Febris diaria facilius quam hectica curatur, ex assertis D. Siluæ.

Imo ex eodem fundamento infero, febrem diariam (& idem est de putrida) difficilius moueri á partibus viuentibus cordis, quam febris hectica (quod nunquam ille Doctor audiuit) si præcisè huiusmodi febres comparentur per æqualitatem, & inæqualitatem caloris, quem ipsæ solent afferre, & ratio est nota, eo quod febris hectica ex communi Philosophorum decreto solet esse exiguæ, ac paruæ caliditatis; febris verò diaria, vt in plurimum est magni, atque intensi caloris: sed calor intensus quatenus talis difficilius aufertur, quam calor remissus, quatenus talis: ergo si febris hectica, & diaria comparentur præcisse per æqualitatem, & inæqualitatem caloris, quem ipsæ afferre solent difficilius febris diariæ, quam hecticæ calor expelli debet. Quod in medicina est [illegible]um.

Reijcitur D. Silua.

Vltimó reijcitur, quia plusquam sæpe experimur, habituales (siue calidas, siue frigidas) iecoris, cerebri, & aliarum nostri corporis partium particulares distemperies, sed in his partes corporis adinuicem agunt, & patiuntur: & nihilominus illæ manent habituales: ergo esse habituale non conuenit distemperiebus, quia partes viuentes adinuicem nō agunt, & reagunt, vt plusquam falso asserit Doctor iste.

Asse-

Explicatur quod sit sanitas.

Asserebat vltimô, quod sanitas in hecticis (cum sit corporum affectus naturalis) ab eorum natura originem ducere, & incipere debet, quæ verba indigent moderatione, nam si per sanitatem iste Doctor intelligit remotionē caloris febrilis, vt videtur asserere fol. 8. suarum asserrionum, per hæc verba; *Vnde cum in nulla parte corporis reperiatur qualitas contraria, & incompossibilis cum dicto calore, aqua veluti ab intrinseco principio sanitas procedere incipiat, non enim vna pars agere potest in aliam, neq; pati ab alia, & ideo non potest remoueri dictus calor à partibus ipsis.* Si, inquam, in hoc sensu loquitur, euidenter infertur calorē in hecticis esse insanabilem, patet ex verbis ipsius; nam ideo, inquit, calor hecticus non remouetur â partibus, quia vna pars non agit in aliam, sed per istum Doctorem nunquam in hecticis vna pars agit in aliam: ergo & nunquam ille calor remouetur, & sic nunquam ille calor erit sanabilis, quod est contra cõe. medicorum decretum, ex Galeno, 1. diffe. febr, cap. 9. sumptum. Ex quo etiam sequitur quamlibet aliam febrem esse insanabilem; patet, quia in qualibet quantumuis partes agant, & reagant inter se, adhuc tamen nunquam remouetur ab ipsis calor febrilis, cum omnes illæ partes sint affectæ distemperie calida.

Nec valet si dicat Doctor Silua, partem simul cum medicamēto frigido remouere calorem febrilē, non valet inquam, hæc euasio, quia si medicamentum simul cū parte remouet calorem febrilem: ergo remotio illius nō solum oritur à principio intrinsêco, sed etiam ab extrinseco; cuius contrarium modo ille dicebat.

Si autem per sanitatem intelligit Doctor iste non remotionem caloris hecticę, nec adquisitionem frigiditatis introductæ, sed illam entitatem, quę resultat pręsupposita frigiditate tanquam termino intrinseco alterationis præcedentis ipsam; si, inquam, in hoc sensu asserat ipse sanitatē oriri á principio intrinseco, verum affirmat;

iuxta

iuxta quem loquitur Philosophus 7.metaphisi. Hippoc. lib.de dieta,text.58.epidem.sect.1.tex.1.lib.de alimento.Galenus in commentarijs ipsorum,in quo etiam sensu verum est dicere medicamenta non sanare, sed naturam,cui tanquam ministri ipsa medicamenta deseruiūt; falsum tamen est asserere sanitatem hoc modó sumptā difficilius adquiri in hectica febre,quam in alijs febrib⁹; quia sic accepta sanitas in omnibus morbis eadem facilitate, ac celeritate oritur ab intrinseco. Vtrum autem illa entitas adquiratur per actum vitalem, aut naturalē? Rursus, V. illa ētitas distinguatur á termino alterationis præuiæ formaliter,aut realiter? Et rursus,vtrum illa entitas sit aliquid absolutum,aut relatiuum, pulchrum est scire; pro quibus omnibus videatur noster doctissimus Doctor Sancta Cruz,super Hippoc.lib.citato,de dieta.

Calor hecticus ideo est habitualis,quia est difficile mobilis à subiecto.

Ex hucusque dictis,reiecta manet ratio D.Siluæ,ipsa enim falsum supponit fundamentum,vt vidimus. Tempestiuum,igitur est, nostram ferre sententiam: pro qua suppono ex communi medicorum consensu: calorem febris hecticæ ideo esse habitualem,quia est difficile mobilis á subiecto;ita assert D.Silua,&bene;*Calor,inquit,hecticus, est habitualis, quia separata causa sui productiua:ita fixus manet,vt difficile remoueri queat* : quam veritatem recipio; *Semper enim amica veritas*,quam solam inquiro: vnde infertur; causam propter quam calor febris hecticę est habitualis,inquirendam esse ex causa,qua ille calor est difficile mobilis à subiecto ; quam causam si fortasse fuerimus assecuti,fortasis solutionem claram, huius celeberrimæ difficultatis in medium educemus.

Calor hecticus non est difficile mobilis ratione suæ intenttonis

Quo supposito, vnum statuo firmum fundamentum, causam videlicet, qua difficile remouetur calor hecticus inquirendam esse, vel ex parte sui subiecti, vel ex parte causæ efectiuę conseruantis,vel ex propria sui intentione: non enim est asignabilis alia causa, quia cum calor

.hecti-

hecticus includat rationem disconuenientis, & mali necessario fine priuatur. Certum autem est calorem hecticum præcisse ratione suæ intensionis non esse difficile mobilem; nam aliæ febres quales scilicet ardentissimæ, & similes solent præseferre intensiorem calorem, quam hectica febris, & nihilominus, illę facile, hæc difficile remouetur à subiecto: ergo calor febris hecticæ præcisse ratione suæ intensionis non est difficile mobilis à subiecto. Certum etiam est laborem febris hecticæ precisse ratione suæ causę effectiuę conseruantis, non esse difficile mobilem, quam veritatem concedit D. Silua; ideoque in præsenti ipsam suppono, de ea tamen infra.

Calor hecticus est difficile mobilis, ratione subiecti.

Ex quibus infertur, causam propter quam calor hecticus est difficile mobilis, inquirendam esse ex parte subiecti, cui ipsemet calor inhæret; quod patet: quia ille calor est difficile mobilis, sed non est talis ratione suę intensionis, nec causæ effectiuę cōseruantis: ergo à sufficienti partium enumeratione ipse calor est difficile mobilis ex parte sui subiecti.

Supra in principio huius euersionis diximus ex communi medicorū decreto, calorē febris hecticę, & cuiuslibet alius esse in partibus viuentibus, tanquam in subiecto inhęsionis. Vnde difficillimum est ratione percipere, quid sit illud, propter quod calorem febris hecticæ difficile, aliarum febrium facile, ipsæ partes amittunt: *Hoc opus, hic labor*: Quem laborem quondam significans doctissimus Thomas de Garbo, lib. 1. de differen. febrium, asserit, quod licet caliditas febris hecticæ sit facta, & difficile mobilis sine dependentia á causa *propter dispositionem subiecti, non plane, inquit nobis notificabilem.*

In hac ergo non leui prouincia, vt diuino fauente numine, discurram, video omnes Medicos vnanimes consentientes in decreto hoc; quod est partes viuentes in hectica febre in facto; in alijs vero febribus infieri calorē

habere

habere. Certum est enim in doctrina Galeni affectum in facto esse difficile: infieri verô facile mobilem; & ideo febris hecticæ calor est difficile mobilis á partibus viuentibus, quia est affectus calidus in facto. Vt autem assequamur quid sit apud Galenum affectus in facto; explicare debemus, quid est apud Medicos, temperamentum esse mutatum (eandem rem significant) illud facile assequemur reuocatis in memoriam ijs, quæ supra asserebamus de essẽtia tẽperam. quod esse quoda aggregatum ex qualitatibus primis, & secundis adinuicẽ proportionatis, est certissimum, vt ibidem. Cũ ergo tempemẽtum dicat totũ illud aggregatũ, tunc mutatur ipsum quando secundum aliqua sui partem; quãdo vero secundum omnes variatur, tunc est temperamentum mutatum. Ex hoc constare arbitror, quid est apud Galenum affectus in facto, vel infieri, est enim affectus infieri; quãdo temperamentum penes primas qualitates: quãdo vero penes primas, & secundas morbose mutatur, tunc datur morbus in facto.

Conueniunt omnes medicinæ professores ex Galen. lib. de inæquali intemperie supra citato. Temperamentunc in hectica febre esse mutatum, in alijs vero febribus mutari. Vnde infertur temperamenrum in hectica penes primas, & secundas mutari qualitates, & ideo in ipsa totum temperamentũ est mutatum; quod idem accidere in hydrophobia, vitiligine, & alijs huiusmodi affectibus est certũ, quam eandem mutationem partes viuẽtes patientes aliam subijsse cõdictionẽ, statum, naturam vè sępe docet ipsemet Galenus, præcipuê primo prorr. cit. lib. de inæqual. intemp. cit. Aduertere tamen debemus, mutationem totalem temperamenti: non solum contingere, penes totum corpus, verum etiam penes quamlibet ipsius partem; & sic praxis medica obseruat, temperamentum huius partis, v.g. iecoris, vel cere-

In febre hectica tẽperamentum est mutatũ

G bri

bri esse mutatum, non vero alius; & ratio est, nam quę libet habet suum peculiare temperamentum, quod determinate potest mutari, vel esse mutatum; itaque in hectica febre cor, & reliquæ partes (nisi aliás detur impedimentum) habent suum temperamentum mutatum, hoc est variatum in primis, & secundis qualitatibus, ex quibus componitur, ideoque est morbus in facto, quæ doctrina licet sit consona præceptis medicis á nostrisq; magistris partim accepta, partimque ex proprio Marte, adhuc non explicat, quid aduenit qualitatibus primis ex mutatione secundarum, propter quod illæ ponantur in facto, seu inesse difficile mobili á subiecto.

Qualitates pertinentes ad modum mixtionis sunt habituales.

Pro quo supponere oportet ex bona philosophia; qualitates secundas pertinentes ad modum mixtionis à primis produci effectiué; quod experientia constat; vidimus quod raritas calorem, mollicies humiditatē sequitur, & sic de alijs qualitatibus, iuxta quam doctrinam cō sequenter dicimus, qualitates terminantes coctionem, vstionem, vtpoté pertinentes ad modum mixtionis produci á primis. Sed notandum est maximê qualitates pertinentes ad modum mixtionis ex natura sua esse fixas, difficile mobiles â subiecto, & ideo esse per modum habitus, vt patet experientia in lapide calido adurenti, quippe qui manet densus. Non me latet aliquos doctissimos nostræ facultatis Authores huiusmodi secundas qualitates dimanare â forma substantiali existimasse, videntes, quod idem lapis, v.g. eandem densitatem obtinens, potest esse calidus, vel frigidus, quod quidem non obstat, quia licet tenuitas sequatur calorē, & hic sit â prę dominio in lapide adurenti, adhuc tamen aliæ qualitates etiam remissiores qualitatem secundam oppositam possunt conseruare; præcipuê quia cum densitas habeat propriam entitatem, per ipsam valet maximé resistere introductioni qualitatis cōtrariæ: verum est ergo quod

quali-

qu alitates secundę, licet primas sequantur ex natura sua sunt fixæ, ac difficile mobiles, quod ita esse vltra dicta docet acutissimus Vall. 1. contro. cap. 6. Doctor Garcia, super Auice. & alij nostri sapientissimi Doctores.

Ex prędicta doctrina redditur ratio, propter quam Gale. lib. de vict. ratione in acutis, comment. 2. tex. 47. densitatem, & raritatem appellat habitus; ibi enim explicans Hippocra. verba; *Quas item natura nostra habitus &c.* sic ait; *Naturā tēperaturā dixit: & habitū, structurem corporis, cōpositionemq́. Nam qui rara n ex natura habent texturam, tunc euacuarentur, tunc sincopam facile incurrunt, qui vero densiori constant textura, hi in morbis cunctantur, diutiusq́; trahunt*; In quibus Galenus raritatem, & densitatem appellat habitus, quia cum sint qualitates pertinentes ad modum mixtionis sunt difficile mobiles, ac permanentes, quod de densitate appositissimé docet ipsemet Galen. 2. aphorism. cō. 28. vbi reddens rationem, cur corpora non leuiter febricitantia permanent, & nihil minūtur: nam permanere, *inquit*, *ex cutis spissitudine*, id est densitate *prouenit*.

Ex dictis infertur, partes viuentes in hectica febre habere adquisitam aliquam secundam qualitatem, quę ex natura sua est difficile mobilis, ac per modum habitus; quod patet, quia in illis temperamentum est mutatum; per mutationem autem totalem temperamenti: certum est ipsum mutari penes primas, & secundas qualitates modum mixtionis constituentes, vt supra diximus. Vnde necessario in laborantis hectica partibus viuentibus, est adquisita aliqua qualitas pertinēs ad mixtionē; illa veró qualitas in febre hectica (vt sic dicam) adusta (quantum ratione percipere possumus) est quædam densitas, quod rationi videtur consonum, quia *Cum illæ partes non solum calefiant, verum etiam adurantur*, vt exemplo lignorum explicabat Galen. 1. pro. citatc, 1. euersione, & ideo ipsas ipse assimilat candenti ferro, 10. meth. 10. cum in-

In febre hectica est adquisita aliqua qualitas habitualis.

In febre hectica est adquisita quædam densitas.

quam illæ aduruntur, hoc est feruorem patiuntur, necesse est ipsas densitatem quandam adquirere, nam vt optimê dicit Galen. 10. meth. 2. *Sane densitudo aliàs ex siccitate prouenit, veluti post feruores*: Itaque in hectica febre partes viuentes habent calorem intensum, & quandam densitatem secutam ex feruore, quem illæ partes patiuntur.

calor hecticus non potest remoueri nisi ab extrinseco.

His iactis fundamentis; alterum medicum suppono, videlicet calorem hecticum non posse remoueri á partibus viuentibus, nisi ab extrinseco principio. Hoc fundamentum tám certum est, quâm certissimum in doctrina medica, depromptum ex Gale. lib. art. med. cap. 89. vbi sic. *Eadem ratione in alijs tribus temperaturis, si vnum coe. præceptum obseruabimus, vt vnamquamq; prius, quæ efficit causam rescindamus: deinde ita ad illam, quæ ab eadem causa facta est: ægritudinem accedamus, causarum salubrium inuentionem faciemus*. In quibus verbis Galen. admirabilis Medicus, dat medicis medicum præceptum, hoc est, morbum curare, quod munus præstabunt Medici, cum morbum abstulerint. Vtrũ autem omnis morbus, post remotionem causæ, indigeat necessario auxilio externo ad sui ablationem: an veró id solum contingat in morbis in temperamento? Rursus vtrum in morbis in temperamento, illi tantum, qui sunt in habitu, non vero illi, qui sunt infieri medicas manus indicent, non est nobis in presenti occasio decidendi; sufficit igitur pro nunc supponere calorem febrilem hecticum non posse remoueri á partibus viuentibus, nisi per medicamenta frigida externa.

Authoris sententia.

His suppositis, dico, quod causa, propter quam calor febris hecticæ est difficile mobilis á partibus viuẽtibus, est quia in his est præuersus modus mixtionis naturalis, & alius adquisitus, quem denominamus densitatem ortã ex adustione, quam ipsæ patiuntur. Hæc conclusio probatur nam in hecticis partes viuentes sunt calidæ, & etiàm densæ; sed corpus propter densitatem difficile refrige

frigeratur: ergo etiā partes illæ calidæ propter densitatē difficile refrigerantur: ergo partes illę propter densitatē habent calorem difficile mobilem; & ideo ille calor est per modum habitus: consequentia est euidens, maior constat ex dictis; minor verô probatur eleganti Galeni doctrina, lib. de cons. cap. 3. vbi sic ait; *Rarum etenim, & molle corpus facile patitur incalescens: & frigescens. Densum autem, & durum tolerat, spernitq; omnia, quæ ipsi extrinsecus occurrunt, non solum si calefaciant, vel refrigerent, &c. Corpus molle,* inquit Gal. *facile patitur refrigerationem* Quasi dicat facile mobilem habet calorem (non enim patietur facile refrigerationem, quin prius præcedat facilis caloris expulsio) *Corpus verò densum spernit refrigerationem*; quasi dicat difficile mobilem habet calorem (contrariorum enim contraria est disciplina) ergo corpus propter densitatem habet calorem difficile mobilem: ergo etiam partes illæ viuentes propter densitatem habent calorem difficile mobilem: ergo propter dēsitatem ille calor est per modū habitus, & sic hecticus patet consequentia, quia calor ideo est habitualis; quia est difficile mobilis.

Probatur secundo, quia illæ partes viuentes calidæ propter densitatem de nouo adquisitā, sunt magis vnitæ, & ideo in ipsis maior est resistentia, tàm formalis, quàm actiua; quia ex communi Philosophorum proloquio; *Virtus vnita fortior est se ipsa dispersa.*

Sed notandum est pro explicatione nostræ sententiæ, quod ille modus mixtionis, quem vocamus densitatem, reddit calorē febrilem difficile mobilem; non in genere causæ efficientis; sed in genere causæ materialis, nō quia recipiat calorem hecticum, sed quia est præuia dispositio ad eius receptionem in partibus viuentibus; cū autem illa densitas sit difficile mobilis toto illo tempore, quo ipsa perseuerat, stat veluti impedimentum obstās agentis frigidi externi actionem, & sic in illis calor recep- *Notanda pro explicatione authoris sententia*

tus

tus perseuerans, vocatur á nostratibus difficile mobilis, tenax, hoc est, hecticus.

Constituto calore hectico, in esse tali statim exoriuntur plura symptom. seu effectus suo modo impedientes, remotionem ipsius; inter quos principatum vindicat debilitas essentialis facultatum, vt colligitur ex Gal. pluribus locis, presertim 3. de præsagatione expul. cap. 2. Oritur morbosa siccitas, quam esse difficile mobilem, diximus supra, ex Gal. doct. 7. metho. cap. 5. Ex qua doctrina Galeni nostri aliqua apparens contradictio, diluitur; ipse enim sæpe, præcipue tamen 8. meth. cap. vltimo, docet, *Calorem febris hecticæ esse tenacem*, quasi dicat, esse difficile mobilem. lib. autem de differ. feb. cap. 9. docet, omnium hecticarum febrium dispositio est difficilis; *Vbi iam principij tempus prætererit*, quasi dicat, quod si febris hectica est in sui principio, non est dispositio difficilis, ergo est facilis dispositio; & sic non est tenax, ac difficile mobilis; & parũ infra docet; *Hæcticam in sui principio facillimé curari posse* ergo in sui principio est facile mobilis, & aliàs tenax, ac difficile mobilis, quæ videtur Galeni contradictio.

Galeni repugnantia.

Facile tamen ex nostra doctrina soluitur; nam calor hecticus potest esse difficile mobilis, vel secundum suã rationem, vel secundum siccitatem quæ ipsum sequitur; si primo modo consideretur calor hecticus semper est difficile mobilis, ac tenax, in quo sensu loquitur Galen. 8. metho. citato; si autem consideretur secundo modo non semper est difficile mobilis, quia vt diximus prima euersione: febris hectica primæ speciei non includit siccitatem morbosam, & ideo propter hanc non semper est difficile mobilis, in quo sensu intelligendus Galen. de differ. feb. citato, & sic manet semper ipse sibi consonus.

Conciliatur sibi Galenus.

Iuxta nostram sententiam facile explicare possumus (vt promissum prestemus) doctrinam, quam Gal. & Principes Medicinæ, de equalitate caloris hecticæ, docet sæ-

pe

pè enim legimus apud ipsos, quod febris hectica est distemperies calida æqualis, id est, quod omnes partes viuentes habent distemperiem calidam ęqualem, hecticā, seu difficile mobilem, quod est verum, quoniam omnes partes habent adquisitam illam densitatem, & sic in omnibus æqualiter calor est difficile mobilis; itaque æqualitas in illis partibus non ex æqualitate intensionis caloris (vt male pensabat Doctor Silua) sed ex difficultate remotionis ipsius, in qua omnes æqualiter conueniunt, sumenda est.

Explicatur, quid sit distemperies calida æqualis.

Ex nostra sententia facile soluuntur ea, quæ in principio huius euersionis adduximus; verū etenim est, quod idem specie, numero, ac intensione calor est possibilis in putrida, & febre hectica; nihilominus in ista calor est difficile, in illa vero facile mobilis á partibus viuentibus, quia in putrida ipsæ partes solúm calefiunt, in hectica verò febre non solùm calefiunt, verum etiam adurūtur; vnde licet eædem partes viuentes in vtraque febre recipiant eundem calorem, non tamen sunt eodem modo dispositæ; propter diuersam dispositionem subiecti, certum est calorem facilius, aut difficilius remoueri à contrario, vt in externis experientia docet.

Soluuntur difficilia posita supra.

Ex qua solutione manet solutum argumentum Lusitani Pereirę supra adductum; concedimus enim, quod aqua calida, separato calefacienti, reducitur ad pristinū statum, non verò corpus hectica laborans; & ratio disparitatis sumitur ex eo quod aqua calida solùm alteratur per calorem: corpus veró hecticum non solùm per calorem, verum etiam per illum modum mixtionis; vnde argumentum non tenet paritatem.

In qua re silentio non est prætereundum, quod asserit Doct. Silua, de aqua calida; ipse enim postquam dixit, quod aqua calida, separato calefaciente, reducitur, subdit; *Præcipué tamen cum hæc nunquam amittat necessariam, & suffi-*

Notatur in doctrina D. Silu.

sufficientem intensionem pro formæ aquæ conseruatione, neq; à caloris intensione victa sit, ita vt plures gradus caloris, quam frigoris esse in aqua dicantur: Hæc ille Doctor; manifestè tamen decipitur, quia aqua in via corruptionis conseruari potest sine intensa frigiditate, ex communi Philosophorum consensu, imò apud ipsos aqua conseruari potest sine aliqua frigiditate (dubitant enim, & meritò cur aqua possit amittere omnem frigiditatē, non vero omnē humiditatem: si frigiditas affinior est aquæ, quàm humiditas? De qua re acutissimus Vallesius, & alij) Rursus, si aqua nunquam calefit, ita vt plures gradus caloris, quam frigoris habeat; quomodo aliquando aqua calida pustulas excitat, & adustionem elicit, veluti causticum medicamentum? Hæc, & similia huius Doctoris, ne frustra tempus consumamus, latius impugnanda omitto.

Inquiret aliquis à nobis, quęnam sit causa conseruatiua caloris hecticæ febris? Cui quæsito, vt satisfaciā breuiter suppono ex Philosophia, quod causa conseruans potest esse, vel perse, vel per accidens: rursus, propria ad quatuor genera causarū extenditur; inter quas efficiens per antonomasiam dicitur conseruatiua; vnde Philosophi cōmuniter diffiniunt conseruationem: per hoc quod sit continuata productio.

His iactis, certum est calorem hecticum non habere causam finalem, vt constat; nec formalem intrinsecam, quia cum ipse sit actus, & ex consequenti forma hæc nō indiget alia, vt sit talis. Diximus sæpe quòd subiectum caloris hectici sunt ipsæmet partes viuentes, in quibus recipitur ille calor tanquam in subiecto inhæsionis præsupposita illa densitate. Vnde notandi veniunt illi Doctores, qui asserunt causam materialem caloris hectici esse humidum nutrimentale; quomodo hoc est possibile, si aliàs nutrimentum nō viuit? Fortasis illorum mentem non assequor.

Impossibile est calorem hecticum subiectari in humido nutrimē

Causa

Causa autem conseruans effectiuè calorem hecticũ, sunt spiritus vitales, quæ conclusio (licet noua) certissima est; experientia enim constat, quod si fortè laborantes hectica febre ex sanguinis effusione, aut simili euacuatione aliquam spirituum vitalium patiuntur resolutionem: tunc ipsi in partibus exterioribus sensibiliter refrigerantur, & morbum frigidum patiuntur: ergo signũ est quod calor hecticus illarum ab spiritibus vitalibus dependebat.

spiritus vitales conseruãt effectiue calorem hecticum

Probatur, 2. quia ex cõmuni nostrorum consensu omnis febris calor comunicatur à corde in reliquas partes viuentes medijs spiritibus vitalibus, sed hæc communicatio necessarió includit dependentiam in genere causæ efficientis (aliàs in quo genere causæ?) Ergo calor hecticus dependet ab spiritibus vitalibus in genere causæ efficientis.

Probatur vltimo, nam sicut in statu naturali calor insitus partium viuentium conseruatur effectiuè ab spiritibus vitalibus, sic in statu illo hectico maximé videtur rationi consonum, quod totus illarum calor ab ipsis depēdeat. Vnde repugnat si spiritus vitales necessarió illis partibus sunt præsentes, & aliás ipsi æqualem calorem (ne dicam intensiorem cum certum sit apud Medicos, partes viuentes continuo resolui propter calorem influētem) habent.

Duo tamen propter sophistas aduerto, primum in febre diaria calorem esse in facto in spiritibus; in fieri veró in partibus viuentibus; & sic ablatis in illa spiritibus remanet calor, vt dispositio, quæ ex natura sua est facile mobilis; in febre autem hectica calor est in facto in partibus viuentibus; in fieri veró in spiritibus, & sic his ablatis, manet calor, vt habitus, qui ex natura sua est difficile mobilis.

notanda pro authoris sententia.

Notandum est secundo, calori hectico conuenire per

accidens habere causam effectiuè conseruantem præter naturalem, nam ipse, quatenus talis est (semel productus) non indiget tali concursu particulari effectiuè ad sui permanentiam, & sic toto illo tempore, quo non expellitur à contrario manet ipse (huius rei fundamentum philosophicum supra insinuauimus) fixus, ac tenax propter illam densitatem.

Obiectiones veró, quas Doctor Silua affert (suo iudicio efficaces) ad probandum calorem hecticum non conseruari â forma nostra substantiali, nec vllius sunt momẽti, nec contra meam sententiam; in qua tuenda, ac communi, & probabili opinione non sum prorsus alienus; nec extimesco, me in æternum damnaturum multorum in re medica expertorum hominum insequens vestigijs, cum hoc prorsus non sit diffundere zizaniam, nec bonũ veritatis triticum suffocare, imò exopto (o amice Doctor) vt tui Deus misereatur, & faciat tuam reuerti Siluam diu iam tanto calore æqualiter desiccatam, & penitus exustã ad nostram viriditatem, & te á nobis separatum tuorum comitum sodalitio consociari, ne velut lucis fuga diuageris, attenta mentis acie perspice non me cõmunem opinionẽ propter illas rationes desserere; facile enim soluuntur á sapientissimis Neothericis, inter alios videatur Magister noster subtilis Doctor Matamoros, lib. 1. de diff. febrium, tract. 1. disputat. 8. & alibi.

Imó addo, fundamentum potissimum, cui ipse nititur, esse falsum, videlicet aliquod preternaturale â naturali, sicut & aliquod naturale, á principio præternaturali oriri non posse; *Nam interficit nos calor ille, qui corpora producit; & conuulsi per aduentum quartanæ liberantur*; Vtrumque ex Hippocratis decreto; non inquam propter illas rationes coactus sum deserere communem opinionem, sed quia perseuerantia caloris hectici exoriri potest propter dispositionem subiecti, vt probaui, sic enim analogia habitus

bitus, quam ille calor sortitur, melius explicatur, hinc eo quod ipsam penes reproductionem á principio intrinseco (vt docent nostrates neotherici) diffiniamus.

Aliæ autem obiectiones, quas Doctor Silua adducit ad probandum calorem hecticum non conseruari â temperamento, nihil valent contra meam sententiam. Vltra quod illæ falsa principia supponunt, quorum falsitas, vt notior fiat aduertere oportet in hecticis duplicem calorem naturalē scet. & præter naturam non inueniri; totus enim calor in omnibus febricitantibus per intensionem factus est præter naturam, ac morbosus.

Licet verò illud apud Medicos adhuc sit positum in controuersia, falsum tamen est, & contra veram philosophiam existimare calorem naturalem, & preter naturam specie distingui, ac esse contrarios, vt asserit Doctor ille, quam rem, vt assequatur, supponere oportet ex Galeno meth. 14. c. 14, rem aliquam esse secundum naturam, nihil aliud est quam esse vtilem, & conuēnientem; & econtra rem aliquam esse præternaturalem, nihil aliud est quam esse inutilem, & disconuenientem; qua doctrina vera supposita, certum est quod calor quatenus naturalis est reduplicatiué, solum rationem conuenientię, & bonitatis, & quatenus præternaturalis solū rationem disconuenientiæ, & malitiæ dicit. Quæ quidem rationes nō sunt prædicamentales, sed transcendentales, quę vagātur per plura prædicamenta, vt eleganter docet doctissimus Suarez, 2. metaphisi disp. 24. sect. 2. num. 4. & sect. 4. nume. 16. & 17. quod prius docuit Angelicus Doctor sanct. Tho. 1 p. q. 48. art. 1. ad 2. vbi ait; *Quod bonum, & malum non sunt differentia constitutiuè, nisi in moralibus*; quasi dicat, quod ratio bonitatis, & malitiæ (quod idē est, quod ratio conuenientiæ, & disconuenientiæ) non sunt rationes constitutiuæ alicuius generis, vel speciei in esse naturali, & phisico, sed solum in genere moris. Quod patet

euidenter, quia eadem numero, & specie frigiditas, v.g. aquæ respectu huius est naturalis, bona, ac conueniens: respectu verò ignis est præter naturam mala, ac disconueniens: ergo esse naturale, & prçter naturam non sunt differentiæ constituentes calorem in diuersis speciebus.

Et si aliquis à nobis petat, quomodo dicti duo calores in ratione naturalis, & præter naturam opponātur? Nam certum est dictos calores sub dicta ratione in eodē subiecto simul non compati; cui dubitationi dicimus breuiter, quod oppositio, quæ reperitur inter illos calores consideratos sub illis rationibus, non est oppositio contraria, quæ versatur inter duas formas verè contrarias, & specie distinctas; sed solum est oppositio quædā relatiua transcendentalis; quę propter diuersam intensionem eiusdem caloris respectu eiusdem subiecti oritur, vel propter diuersas naturas diuersorum subiectorum, ad quæ idemmet calor potest comparari, sicut ergo in relationibus prędicamentalibus, idem non potest esse Pater, & Filius respectu eiusdem, bene tamen respectu diuersorum: sic etiam in hac relatione transcendentali idemmet calor in eadē intensione manens respectu eiusdem subiecti, non potest esse naturalis, & præter naturā; si tamen ad diuersa subiecta comparetur, bene potest, vt idemmet calor respectu vnius subiecti naturalis, respectu verò alterius sit præter naturam.

Hæc prestantes Iudices pro veritate medica pensaui, & quo breuiori, licet non quo optatiori methodo expressi; ne vobis, quibus in omnibus inseruire curo, viderer molestus; videar precor sanabilis corporis verus inquisitor, & ad id verorum medicaliū applicator, cū hęc sola fuerit mea mens, mea vigilia, meaq; hæc operula idem conata fuerit, & ipsa tota, egoq; totus nunc, & in futurū sanctæ Matris Ecclesię Romanæ, necnon tantorū Magistrorū piæ correctioni obsequiū libētissimum præstabimus. VALETE *Doctor Didacus Lopez Bernal.*